



O·J
INTER·FOLIA·FRVCTVS

GRAEFE

EPISTOLA CRITICA
IN
BUCOLICOS GRAECOS

AD
VIRUM ILLUSTRISSIMUM
SERGIUM OUVAROFF
CONSILIARIUM STATUS ACTUALEM. EQUITEM
OMNIS REI LITERARIAE PER DIOECESIN
PETROPOLITANAM CURATOREM GRAVISSIMUM
ETC. ETC. ETC

SCRIPSIT

CUM E CATHEDRA INSTITUTI PAEDAGOGICI LATINA
AD GRAECAM VOCARETUR

Dr. CHRISTIANUS FRIDERICUS GRAEFE
CONSILIARIUS AULICUS. EQUES. PROFESSOR ORD. LITT. LATT. IN INSTITUTO
PAEDAGOG. ET GRAECC. IN ACADEMIA ALEXANDRO-NEVENSI

PETROPOLI
LITERIS ACADEMIAE IMPERIALIS SCIENTIARUM
MDCCCXV.

VIRO ILLUSTRISSIMO

SERGIO OUVAROFF

PATRONO MULTIS NOMINIBUS PIE DEVENERANDO

S. P. D.

FRIDERICUS GRAEFE.

Rem longe aequissimam visus mihi sum suscipere, cum has in Bucolica Graecorum carmina conscriptas observationes hic publice TIBI, VIR ILLUSTRISSIME, offerendas esse existimarem. Natae enim sunt paene omnes sub oculis TUIS, cum amoenissima haec carmina TEcum in amoenis TUIS hortis nuper perlegere mihi contingeret. Et TUIS sermonibus, TUA praesentia, imo TUO quodam numine saepe factum esse, ut in quibus expediendis domi solus frustra elaboraverim, ea coram TE sponte sua felicius venirent, facile nunc mecum ipse recordaberis. Accipe itaque hos qualescunque communis lectionis fructus: in quibus si TUI ipsius ingenii vestigia et facile et lubenter agnoscere potueris, id summum huius libelli ornamentum laetus existimabo.

Sed ut haec privatis fortasse rationibus tenentur, ita publicam tale quid ad TE scribendi opportunitatem offerri et paene necessitatem imponi mihi video ea favoris TUI erga me testificatione, qua me nuper in defuncti *Belini de Balld* locum ad literas Graecas pro Latinis docendas succedere benevole decrevisti. Quam provinciam mihi demandatam etsi satis novi, quanti sit facienda, quamque sit honorifica, nolo tamen nunc verbis hic TIBI gratias agere, quas me maximas animo sentire TU non ignoras. Neque vero hic repetere et enarrare volui, quae et quanta TIBI debeam, ex quo pedem

in hanc PETRI et ALEXANDRI invictam urbem felix intuli: quod longum foret carmen, non ad *arbusta humilesque myricas* decantandum. Ad haec ego templum, uti scis, diu est, quod circumspexi, ut antiquum et sacrosanctum, ita pulcherrimis floribus opertum, cuius intactum quoddam adytum amica mihi nuper manus reclusit, in quo, digniore loco, grati erga TE animi piam memoriam venerabundus deponerem. Nunc satisfacere tantum volui antiquo et in majori mea patria ubique obvio mori, ex quo, qui publicum literarum docendarum munus adit, scripto specimine orbi se literario et studia sua probare tenetur: quem laudabilem morem scio quam lubenter inter populares TUOS receptum cuperes TU, cui nihil magis curae, quam quibus praesidiis bonarum literarum incrementa, passim adhuc tarda, TUO exemplo et provida TUA cura regas et promoveas.

Atque utinam TIBI, et quibus, ut TIBI, judicium in his rebus competit, hocce meum festinanti calamo in magna librorum penuria *) conscribendum specimen tale saltem videatur, ut non omnino impar in cathedram antecessoris mei longe eruditissimi subrepere censear! Optime enim TIBI cognitum est, quam variae eruditionis, quam vastae lectionis, quam felicis et tantum non nimis subtilis ingenii *Belinus* noster fuerit, facile inter principes, qui nunc vivunt, suae gentis philologos numerandus, dignus quondam *Villoisonii*,

---

*) Ita frustra desideravi *Eichstadii* Quaest. philologg. Specimen pr. *Th. Valpergae* Epist. alt. et inprimis *Hermanni* Observatt. ad Bucolica, quas a *Schaefero* ad Greg. Cor. p. 890. laudari video, nec non *Jacobsii* Theocritum; ut alia taceam. Usurpare tantum licuit editt. *Reiskii*, *Harlesii*, et *Heindorfii* cum *Valkenarii*, *Toupii* et *Brunckii* commentariis; praeterea *Schierii* Bionem et Moschum, *Koehleri* Notas, *Heinrichii* Observationes, *Jacobsii* Spec. Emendationum, et *ejusdem* Bionem et Moschum, denique *Eichstadii* Quaest. philologg. Spec. nov. et *ejus* Adumbrationem quaestionis de Carminib. Theocriteis. Neque vero mihi in tam curto ad hanc crisin apparatu, otium suppetebat, ad varias passim per libros sparsas Virorum Doctorum in haec carmina adnotationes studiose conquirendas.

Chardoni de la Rochette et *Boissonadi* amicus: ut optandum omnino, ut varia, quae reliquit, scripta, idonea vitae in literis occupatissimae documenta, in auctoris sui honorem, et fortasse simul ad sustentandas res angustas numerosae, quam inopem reliquit, stirpis in lucem publicam edi quam proxime possint.

Praeterea, si fortasse justo audacius campum, in quo, quidquid demum criticae facultatis in me est, exercerem, haec Bucolica elegi carmina, a summis quondam viris tentata, in quibus denuo edendis et perpoliendis neque *Hermanni*, praeceptoris amantissimi, acumen occupari detrectavit, — quod si in ejusmodi arenam temere descendisse videar, tuebor me TUA auctoritate, TUIS hortationibus, TUIS denique auxiliis. In quo si quid vel sic est, quod poenitere possit, erit, qui de nobis et severum et paternum judicium statuere possit idem ille *Hermannus* noster, si in nova, quam molitur, Bucolicorum editione huius nostri conatus mentionem facere non dedignabitur. Atque utinam in me vel leve *Valkenarii* vestigium cerneretur, non ut aeterna illa *Valkenarii* gloria florerem ego, sed ut TUUM ILLUSTRE NOMEN ea dignitate prosecutus esse viderer, qua ille uni popularium TUORUM illustrium egregiam suam Bucolicorum editionem in perpetuam laudis memoriam olim inscripsit! Atqui in magnis conatibus et voluisse putatur satis esse apud aequos et benevolos rerum judices.

Age itaque, ILLUSTRIS OUVAROFF, repete mecum animo Siciliae illa amoena loca, quae adhuc alternis pastorum carminibus resonant, et vide, an placide spirantes Zephyri, lene murmur praeterlabentium aquarum, antrorum, Musis atque Nymphis frequentatorum opaca silentia, superstes denique et fida Echo, antiqua Syringis amica, memori lingua unam alteramve volucrem voculam auribus nostris insusurret et allidat, adhuc vivam et spirantem, quae in scriptis pastorum nostrorum carminibus diu mortua jacet, aut longo situ obscurata!

Et profecto, plurima passim deprehenduntur ejusmodi a tempore obscurata vocabula, sed in quibus restituendis fallax Divae

Criticae numen vanis vocabulorum imaginibus interpretem suum deludere in infinitum videtur.

Ita, ut jam ordine rem aggrediamur, multae multorum conjecturae prostant in Theocr. Id. I. v. 95.

ἦνθέ γε μὰν ἀδεῖα καὶ ἁ Κύπρις γελάοισα,

ubi illud ἀδεῖα γελᾷν, si vel maxime ἀδεῖα neutr. plur. per se recte dicatur, Veneri malignum hic ridenti, ut vere a Graeco interprete observatum, non magis convenit, quam *Rubnkenii* ἥδιστα γελᾷν. Ut enim ἀδεῖα, neutr. pl. per se dici posse putes, suadet locus Sophocl. Trach. v. 122. s. ἀδεῖα μὲν, ἀντία δ' οἴσω, et quod ap. Arat. Dios. 336. legitur:

θήλειαι δὲ σύες, θήλεια δὲ μῆλα καὶ αἶγες,

etsi non putem, haec neutra a formis in υς derivanda esse, ut vulgo facere solent. Videntur potius, in quibusdam certe casibus, formae, a foemininis derivatae, in ειος et ιος locum habuisse, ut γλύκιον ποτόν habemus rursus ap. Sophocl. Philoct. 1439. Ita inprimis probabile est, extitisse θήλειος, θήλειον, quo indirecte analogia cum γυναικεῖος, ἀνδρεῖος, ἀνθρώπειος, all. ducere videbatur. Nunc vero ἀδεῖα γελᾷν sensui non convenit. Quam ob causam neque ipsa Venus apte hic ἀδεῖα, foem. sing. diceretur; ut de importuna verborum positione jam nihil dicam. Quod autem *Gratama* conjecit, prae caeteris *Valkenario* probatum: ἦνθέ γε μὰν λάθρη καὶ ἁ Κ. γ. id, ut elegans videri potest, si repetitum seq. versu λάθρη spectatur, TU tamen, qui scias, productum ante vocalem καί, idque in thesi non a Theocrito tantum ipso, sed omnibus adeo, quae sub ejus nomine circumferuntur, carminibus plane alienum esse, non facile probaveris. Iam vero λαθραῖα, ut ap. Straton. ep. 16. A. B. II. 362. τὰ λαθραῖα, scribere, et v. seq. λάθρια recipere, id nescio quid inconcinni et operosi continet. Si vocabulum quaerendum, quod cum verbo γελᾷν construatur, facilius esse videtur:

ἦνθέ γε μὰν ἀχρεῖα καὶ ἁ Κύπρις γελάοισα,

ut notum est Homeri Il. II. 269. ἀχρεῖον ἰδών, de vultu incondito, (Germ. *ein vergebliches Gesicht machen*) et Theocr. Id. XXV. 72. ἀχρεῖον

κλάζειν, de canibus non serio, sed incondita voce latrantibus, (*vergeblich kleffen*). Recte igitur dici posset de ejusmodi non integro et parum ad naturam composito maligno risu. Sed haud paulo elegantior esset locus, si e codd. proferretur in hunc modum scriptus:

ἦνθέ γε μὰν ἅμα παιδὶ καὶ ἁ Κύπρις γελάοισα,

Sed sine Codd. talia pro veris vendere, quis ausit?

Multum mecum haerebas, VIR ILLUSTRIS, in loco, qui proxime sequitur, v. 101. sqq.

Κύπρι νεμεσσατὰ, Κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής·
ἤδη γὰρ Φράσδει πάνθ', ἅλιον ἄμμι δεδύκειν.
Δάφνις κ' ἐιν Ἀΐδα κακὸν ἔσσεται ἄλγος ἔρωτος.

in quorum tertio versu TU, admissa *Brunckii* distinctione, pro ἔσσεται volebas ἕσπεται, satis omnino probabiliter. Equidem omnibus accuratius perpensis, nunc ita de hoc loco statuendum puto: Verus esse videtur nominat. ἅλιος, pluribus Codd. comprobatus; sed minime cogitandum est de illis Veneris et Martis amoribus, a Sole Deo patefactis, ut id *Toupio* in mentem venit. Imo aperta est oppositio inter ἅλιος et ἀΐδα, quod utrumque ad Daphnidem referendum est. Quare neque distinguendum est post Δάφνις, quia seq. καί, si sententiam incipit, magis copulae speciem habet, quam, vocabulo postpositum, vim ejus particulae, quae sensum intendit, unde oppositio magis elucescit. Est etiam per se incommoda haec distinctio, quia alteram post ἄμμι, quam *Toupii* commentum pepererat, fere necessariam facit. Iam illud πάντα Φράζειν non ad seqq. pertinet, sed ad antecedd. et partic. γάρ ostendit, causam afferri, cur ille Venerem tam aspere allocutus sit. Oratio autem ἀσύνδετος est, ut par erat in magna animi commotione, lingua post longum silentium in prima verba erumpente. Una itaque litera transposita, cum *Wassenbergio* scribendum puto:

Κύπρι νεμεσσατὰ, Κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής· —
ἤδη γὰρ Φράσδειν πάνθ'· ἅλιος ἄμμι δεδύκει· —
Δάφνις κ'ἠν Ἀΐδα κακὸν ἔσσεται ἄλγος Ἔρωτι.

In his versus medius est παρένθετος; tertius vero continuat ipsam orationem ad Venerem, respondens vv. 97. s. „Odiosa Venus, Venus mortalibus infesta, — jam enim omnia dicenda, instante nobis morte! — Daphnis vel mortuus magna dolendi materies Amori erit: invictus enim est, quem tu ab Amore superatum gloriabaris." Infinitivum φράσδειν, elliptice positum, nemo facile, tali inprimis nexu, reprehendet; etsi non nimis operosum esset, vel ἔχρην γὰρ φράσδειν π. scribere. Error in v. φράσδει fortasse ortus est, quia librarius, cum totum versum in memoria teneret, ultimam terminationem cum ea, in qua caesura tertii pedis est, confundebat: id quod saepe errores protulisse videtur. Hinc in Codd. pll. legitur δεδύκειν, cum illud ν ad v. φράσδει pertineat. Caeterum in fine Ἔρωτι, dat. casu scripsi, non quasi hoc unice verum putarem, sed quia sensum, quem volo, genitivus minus clare videbatur exhibere, quam dativus.

Optime autem cum nostra interpretatione sequentia coëunt. Dixerat Daphnis ad Venerem: „Non est, cur tu cum filio tuo de me triumphum agas; nam vel post mortem magnus ei dolor erit invictus meus animus. Tu ipsa saepe Amori succubuisti! Nonne te habuit Anchises? nonne Adonis? Daphnin bubulcum non magis superaveris, quam Diomedem, si denuo certamen cum eo inire auderes." Quae postrema prae caeteris amarulenter rident Veneris impotentiam. Vides, puto, aut hunc esse in verbis poëtae sensum et nexum, aut nullum omnino: quod nefas est, dicere.

Inde vero unice pendet interpretatio v. 109. sqq.

Ὡραῖος χ᾽ Ὤδωνις, ἐπεὶ καὶ μᾶλα νομεύει,
καὶ πτῶκας βάλλει, καὶ θηρία τἄλλα διώκει.

qui locus criticos pessime vexavit. Atqui primum intelligitur, ad hunc sententiarum nexum plane nihil facere versum Virgilii Ecl. X. 18.

Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.

Saepe enim Virgilius Theocritum ita imitatus est, ut verbis quidem et coloribus undecunque e Graeco vate collectis et mutuatis, propriam tamen, saepe diversissimam, sententiam sic procuderet. In

Virgilio nexus est: non dedecet pastorem cura pecoris; nam et formosus Adonis pavit greges: in qua sententia etiam Apollinis, Tibull. II. El. 3. v. 11. Tithoni, Non. Dionys. XV. 278. Ganymedis, ibid. XV. 280. Endymionis, ibid. XV. 283. Protei, utpote Dei, Theocr. Id. VIII. 52. sed et Anchisae exemplo uti poterat. Theocrito ostendendum erat, et Adonidis, quamquam pastoris, amoribus Venerem succubuisse. Quae duae sententiae toto coelo inter se discrepant. Itaque frustra sunt ad unum omnes, qui ex isto *ad flumina*, non minus otiose a Virgilio addito, quam ἐν ὤρεσιν in simili loco ap. Theocr. Id. III. 46. magno molimine montes et valles et, deficiente idoneo Graeci sermonis flumine, altas saltem sine flumine ripas Theocrito obtrudere conati sunt. Merito tamen displicebat quod edebatur: „pulcher erat Adonis, *quia* pascit et venatur:“ quod absurdum manet, si vel in hunc modum explices: pulcher tibi, o Venus *videtur* Adonis; nimirum et ille pastor est, ut Anchises, et pastoribus tu favere videris. Si illud de pulchritudine summam hic sententiam efficeret, quis non dudum conjecisset:

Ὡραῖος χ' Ὤδωνις ἔτ', εἰ καὶ μᾶλα νομεύει, —

vel elegantius: Ὡραῖος χ' Ὤδωνις, ἴδ', εἰ καὶ μ. ν.

Iam oritur quidem longe alia sententia, distinctione post Ἄδωνις sublata, ut sit: ἐπεὶ καὶ ὁ ὡραῖος Ἄδωνις μᾶλα νομεύει etc. „Etenim pulcher quoque Adonis et pascit et venatur; atqui ei te obsequiosam fuisse, in vulgus notum; itaque et hic pastori, o Venus, succubuisti.“ Sed hoc verborum nexu quis non tertium aliquem versum additum exspectasset in hunc fere modum:

Ὡραῖος χ' Ὤδωνις ἐπεὶ καὶ μᾶλα νομεύων,
καὶ πτῶκας βάλλων, καὶ θηρία τἄλλα διώκων,
αὐτὰν τὰν Κυθέρειαν ἐπὶ πλέον ἄγαγε λύσσας.

ut fere est in Id. III. 46. sqq. aut scriptum saltem:

καὶ μᾶλα νομεύει,
καὶ πτῶκας βάλλει, Κυθέρειαν τ' ἄντα διώκει.

Videtur tamen talis vulgatae lectionis explicatio aut correctio paulo subtilior aut durior esse, ut eo lubentius eam deseras, quo facilius

admissa lenissima mutatione nexus sententiarum procedit. Vide enim, an recte conjecerim:

> Ὡραῖος χ' Ὥδωνις ὅπα καὶ μᾶλα νομεύει,
> καὶ πτῶκας βάλλει, καὶ θηρία τἄλλα διώκει.

Cohaerent haec arcte cum antecedd. et uti ante erat ἕρπε ποτ' Ἴδαν, ἕρπε ποτ' Ἀγχίσαν, ita hic quoque supplendum: ἕρπε καὶ, ὅπα ὁ ὡρ. Ἀδ. immo, idem illud ἕρπε etiam ad remotiora, quae sequuntur, ἕρπε, ὅπως αὖτις στασῇ ἐγγὺς Διομήδεος eodem modo supplendum est. Et poterat poëta, si volebat, versui 109. praemittere versum, similem versui 105. veluti:

> οὐ λέγεται τὰν Κύπριν ὁ βωκόλος — — ἕρπε καθ' ὕλαν,
> ὡραῖος χ' Ὥδωνις ὅπα καὶ μάλ. etc.

Imo fortasse vere ita dedit; sed librariis versus videbatur male ex superioribus repetitus, aut offendebat voc. βωκόλος. Ita certe aliquoties versus in his carminibus intercidisse infra videbimus. De pari numero ternario nolo nunc loqui, infra de hac numerorum concinnitate, ubi etiam ad v. 85. recurrendum, tractaturus, et versu 107. probabilius ad Id. V. 46. relegando. Sed ad sensum stabiliendum tali artificio hic certe non opus est. Vides autem facilem corruptionis viam, nexu cum antecedd. ut videri poterat, per versum intercalarem sublato, ubi praeterea similes formae ὅπου et ὅπη et ὅπῃ, quae cum nostro promiscue scribi a librariis potuerunt, summam cum ἐπεὶ similitudinem habebant. Videtur autem non parum malignitatis inesse in cumulatis istis de Adonide narratis: καὶ μᾶλα νομεύει, καὶ πτῶκας βάλλει, καὶ θηρία τἄλλα διώκει, quoniam Venus tale fere corollarium exspectare debebat pudibunda:

> καὶ πυρσοῖς αὐτὰν τὰν Κύπριδα σύννομος αἴθει.

Praeterea variae hae Adonidis, quae commemorantur, occupationes eodem modo Veneri tamquam totidem amorum suorum testes et theatra ante oculos ponuntur, quo paulo ante v. 106. sqq. quercus et cyperus, et si seq. v. huc pertinet, apes susurrantes talem ei thalamum in memoriam revocant, quali utebantur, quorum nuptias cupressi foliorum murmure celebrabant. Id. XXVII. 57.

Sed revertendum non nihil ad v. 105. ubi suspecta videri potest Cypridis mentio, ut in oratione ad ipsam Cypridem habita. Ita mihi aliquando in mentem venit:

οὐ λέγετ' ἐν ποκα Κύπρῳ ὁ βωκόλος — — ἕρπε π. 'I.

ut prius Cyprum et Idam Daphnis Veneri objiciat, mox inverso ordine Anchisen et Adonin nominet, et sic etiam βουκόλον et ποιμένα confundat. Vel tale quid:

οὐ λέγεται σὰν μίτραν ὁ βωκόλος — —

λῦσαι scilicet, ut μίτραν in simili loco, ultima, nescio quo jure, correpta, habes Id. XXVII. 54. Sed verum puto τὰν Κύπριν, quod gravius dictum, quam pronomen secundae personae si Daphnis usurpasset. Nomen enim Deam aperte repraesentat, et oppositionem cum voc. βωκόλος clare exprimit, quae omnia pronomini obscurius subsunt. Eatenus etiam nomen aptius est, quatenus aliorum de Venere rumores (λέγεται) Daphnis affert. Sed quoniam οὐ mutandum est in ὦ, ut dialectus sibi constet, merito deliberandum, an praestet scribere:

οὐ λέγεται τὰν Κύπριν ὁ βωκόλος — —;

eadem aposiopesi, sed oratione, nisi fallor, et faciliori et elegantiori.

Omnium TE minime fugit, ILLUSTRIS OUVAROFF, quantum in exercenda crisi tribuendum sit metricis rationibus, si carmina sunt, de quibus agitur. Ita non mirabaris, me haesitare in loco Theocr. Id. II. 4. quem omnes, quos novi, interpretes securi transierunt, unus non transiturus erat, si quid eum novi, *Hermannus* meus. Editur vulgo:

ὅς μοι δωδεκαταῖος ἀφ' ὦ τάλας οὐδέποθ' ἥκει,

Atqui τάλας ultimam producit, uti μέλας, de quibus vocabulis miratus sum, vel *Thierschium* meum in Grammatica sua contrarium nuperrime praecepisse. Sed error hic non semel erratus est, in re longe certissima. Aeolenses enim pro μέλας et τάλας dixerunt μέλαις et τάλαις, plane ut in participiis aor. 1. ubi ας itidem pro-

ducitur. Ostendit quantitatem etiam foemininum et neutrum, ut et genitivus: origo enim fuit *ανς*, quod litera *ν* ejecta, non potuit non longum fieri. Cf. omnino Gregor. Cor. p. 599. ed. Sch. et quod p. s. e Cod. Leid. affertur: *οἱ Αἰολεῖς προστιθέασι τὸ ι ἐπὶ τῶν εἰς ας, μακρὸν ἐχόντων τὸ α.* Accedit analogia cum *τέρην, εινα, εν*, quod alicubi etiam *τέρης* vel *τέρεις, εινα, εν* sonuisse, Latinorum *teres* ostendit. Praeterea res plane infinitis poëtarum omnis generis locis comprobari potest. Correptionis nullum, quod certum sit, exemplum datur, cum tamen *μέγας* ubique correptum recte inveniatur. Ad productionem in *τάλας* quod attinet, omissis iis locis, in quibus illa arsi tribui possit, ut in Homero et plerisque Epicis, (quemadmodum etiam breve *μέγας* productum invenitur, v. c. apud Calabr. X. 194.) haec, pauca ex ingenti numero, exempla habe: Sophocl. Antig. 1195. Philoct. 920. Oed. Col. 753. 847. Diphil. ap. Athen. VII. p. 307. f. Aristoph. Pac. 256. 279 etc. Idem valet de *μέλας*, quod productum vides ap. Nonn. Dionys. XII. 312. et probabiliter restitutum ib. v. 308. in quo poëta de nulla productione tali per arsin cogitandum esse, propediem demonstrabo; adde Secundi ep. 3. A. B. III. 6. Imo plura ejusdem moduli adjectiva olim fuisse, formae quaedam foemininae, adhuc superstites, non obscure produnt. Unde enim *ζύγαινα, ὕαινα, φάλαινα*, nisi a *ζύγας, ὕας, φάλας*, quibus fortasse *σύβας* jungendum? Imo formae ejusmodi ut *δράκων, δράκαινα, λέων, λέαινα* pro quantitate masculini videntur aliquid probare. At cum hac familia nihil commune habet *μέγας*, forma, quae, etsi origine destituta et ad derivationem fere sterilis, uno tamen neutro in *α* primitivam literae *ν* in masculino absentiam, et proinde cessantem productionis causam, declarat. Vides jam apertam emendandi necessitatem in Theocrito nostro. Eo enim nemo facile recurret, ut Dorienses syllabam natura longam, ita ut accusatt. pr. decl. in *ας*, corripuisse dicat; cum multo probabilius sit, eos cum Aeolensibus potius *μέλαις* et *τάλαις* usurpasse. Cum vero eadem fere verba recurrant infra v. 157.

νῦν δέ τε δωδεκαταῖος, ἀφ' ὧτέ νιν οὐδέποκ' εἶδον,

erunt fortasse, qui inde nostrum emendent; possint etiam paulo propius scribere: ἀφ' ὦ τάλαν οὐδέποκ' εἶδον, vel, ut τλάς quaeratur, veluti: ἀφ' ὦ τλὰς ὀυδέποχ' ἥκει, pro: οὐκ ἔτλην ἥκειν, vel cum bucolico etiam rythmo:

ὅς μοι δωδεκαταῖος ἀφέστιος οὐδέποχ' ἥκει,

quod non inelegans. Sed verum est, nisi fallor:

ὅς μοι δωδεκαταῖος, ἀφ' ὦ πέλας οὐδέποχ' ἥκει,

Germani illud πέλας optime exprimerent: *Seit er mir gar nicht mehr zu nahe kömmt, seit er nicht in meine Nähe kömmt.* Confusio orta est, quod in litera π altera de duabus lineolis forte perierat. Caeterum consulto dedi: οὐδέποχ' ἥκει contra *Valkenarium*, qui si audiendus esset, omnis in dialecto constantia tantum non ubique labefactari posset.

Ut in Theocrito, ita τάλας male legitur in Palladae ep. 139. A. B. II. 436. v. 4. ubi lenissima mutatione restituendum: ὦ τάλαν ἀ. In ejusd. ep. v. 9. e Cod. Vat. diu est, quod legebam:

ἀλλ' ὁ Σάρατις ἀπέχρησεν, πάλι νυκτὸς ἐπιστάς,

genitivo νυκτός ut v. 2. posito. Contrarium vitium obsidet Lucill. ep. 38. A. B. II. 324. contraria medicina tollendum:

εἰπὲ, τάλας· οὕτως εὔσκοπός ἐστι Δίων,

εὔσκοπος dedit Vat. Cod. Versu seq. vide, an e lectione vulgata elici possit:

οὐ μόνον ἐκτύφλωσεν Ὀλυμπικόν, ἀλλ' ἀδιάντου
εἰκόνος, ἧς εἶχεν, τὰ βλέφαρ' ἐξέβαλεν,

intellige εἰκόνος, ἀλείφασιν ἀδιάντου, quod supplendum e v. 1.

Sed revertamur jam ad Φαρμακεύτριαν nostram, cui vereor, ut v. 24. recte tribuatur praesens λακεῖ, quomodocumque scribatur. Primum enim dubito omnino de usu praesentis, in his certe carminibus; deinde hoc tempus displicet etiam propter duo, quae sequuntur verba: ἄφθη, et inprimis: κ' οὐδὲ σποδὸν εἴδομες αὐτᾶς.

Legendum puto:

- - χ' ὡς αὐτὰ ἔ λ α κ ε ν μέγα καππυρίσασα,
κ' ἠξαπίνας ἄφθη,

Productio vocalis longae et diphthongi ante vocalem in arsi fere in singulis his carminibus aliquoties sine omni ambiguitate invenitur. Cf. vv. 51. 145. 152. etc.

Versu 54. displicebat etiam TIBI, VIR ILLUSTRIS, importunum epitheton, quo πῦρ dicitur ἄγριον, in loco, ubi id minime vim habet:

Τοῦτ' ἀπὸ τᾶς χλαίνας τὸ κράσπεδον ὤλεσε Δάφνις,
ὤ 'γὼ νῦν τίλλοισα κατ' ἀγρίῳ ἐν πυρὶ βάλλω.

Sed displicebant etiam *Hemsterhusii* et *Brunckii* conatus; etsi optandum, ut illius κατ' ἀ γ ρ ί ω verum esse possit. Simaetham sibi ipsam tale epitheton tribuisse, nemini *Brunckius* persuadebit. TU vide, an probabilior sit haec conjectura:

ὤ 'γὼ νῦν τίλλοισα κατ' ἄ τ ρ ι ο ν ἐν πυρὶ βάλλω,

aut: ὧ 'γὼ νῦν τίλλοισα κατ' ἄ τ ρ ι ο ν ἐν πυρὶ βάλλω,

prius est: ὃ κράσπεδον ἐγὼ κατ' ἄτριον τίλλοισα, πυρὶ ἐμβάλλω, et sic apte comparari poterit Theocriti similis locus, Id. III. 21.

τὸν στέφανον τῖλαί με κατ' αὐτίκα λεπτὰ ποασεῖς,

etsi me non fugit, praepositionem ibi non ad λεπτά referri. Vult illa Delphidis fimbriam divellere *in fila*, solvere omnem texturam. Idem vocab. librarii corruperunt in Bion. Id. XV. 24. si recte *Lennepius* locum emendavit, et nisi fallor, Anthologiae quoque alicubi id redditum. Sed verior fortasse est posterior scribendi ratio: ὧ 'γὼ etc. i. e. οὗ κρασπέδου ἄτριον ἐγὼ κατατίλλοισα, πυρὶ ἐμβάλλω, eodem sensu: *cujus fimbriae texturam* etc.

Versu 62. lubenter mecum legebas: τὰ Δέλφιδος ὀστέα μ ά σ σ ω, propter praecedens v. 59. ὑπόμαξον. Est enim huius loci eadem plane oeconomia ac superioris v. 18. 21.

Versu 82. emendabas mecum:

χ' ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην, ὥς μευ π υ ρ ὶ θυμὸς ἰάφθη,

quod, licet non omnino necessarium, tale tamen est, ut a poëta profectum malis, quam vulgatum. Commendatur iis, quae sequuntur, ut ἐτάκετο, v. 83. et καπυρὰ νόσος, v. 85. et quod Id. III. 17. κατασμύχων — — ἰάπτει dicitur, male a *Brunckio* tentatum. Atque ita *Ursini* lectio, περὶ θυμὸς ἰάνθη, si Codice nititur, contineret explicationem nostrae. Obiter moneo, v. 85. mihi praeferendum videri ἐ ξ ά λ λ α ξ ε ν. Homeri certe auctoritas ad defendendum ἐξαλάπαξεν hoc nexu non facit: nam aliud est ἐξαλαπάξαι urbem, aliud formam humanam. Optime vero cum ἐξάλλαξεν cohaeret, quod mox sequitur v. 88.

καί μευ χρὼς μὲν ὁμοῖος ἐγίνετο πολλάκι θάψω,

Ita versum edidit *Valkenarius*; apud *Reiskium* est θαψῷ; in ed. Oxoniensi θ ά ψ ῳ; apud *Harles.* denique θ α ψ ῷ. Genitivus post ὁμοῖος dici poterit, ut post ἴσος, et, si credendum est *Schradero* ad Mus. p. 45. sq. post ἴκελος, cujus tamen exempla e Nonno allata non omnem fidem merentur. Malim et in nostro loco dativ. θάψῳ. Praeterea me non nihil torquet adv. πολλάκι. Proprium hoc fuisset, si de crebris palloris cum rubore permutationibus loqui voluisset: quod tamen sequentibus minus convenit. E versu 110.

ἐπάγην δαγῦδι καλὸν χρόα πάντοθεν ἶσα.

peti fortasse posset: ὁμοῖος — π ά ν τ ο θ ι θάψῳ. Si in Nonno versarer, legerem π ε ν θ ά δ ι θάψῳ; hic fortasse reconditius vocabulum subest. Quid? si dedit: π ε λ λ ά δ ι θάψῳ; certe, si πελλάς dictum, id uti πελλός, πελιός, πελιδνός, et verbum πελιαίνεσθαι de lurido quodam pallore accipi poterit. Cohaeret enim sine dubio non tantum Lat. *pullus*, sed *pallidus* quoque. Videtur conjecturae non nihil favere nexus ille inter τὴν θαψίαν et τὰ ὑπώπια, fortasse et ad colorem pertinens. Vid. Schol. ad h. l. a *Toupio* emendatum, et *Schneiderum* in Lex. s. ὑπώπιον. Praevideo tamen, fore, qui locum sanum putent.

Mox erat, cum haererem in v. 125.

καὶ καλὸς πάντεσσι μετ' ἠϊθέοισι καλεῦμαι.
εὗδόν δ', εἴκε μόνον τὸ καλὸν στόμα τεῦ ἐφίλασα.

cum observasse mihi viderer, adject. καλός paulo rarius primam in thesi

producere. Evitari poterat scribendo: καί τε καλός, vel: ἠδὲ καλός, vel: καὶ καλὸς ὤν, vel denique: καὶ καλὸς ἐν πάντεσσι μέγ' ἠϊθέοισι καλεῦμαι. Sed hoc minus certum. Certior, puto, fuerit emendatio v. seq. ubi εὗδον sic non ferendum. Verbum hoc de curis et animi perturbationibus eleganter dici, constat; ita fere σιγᾷν supra v. 39. usurpatum vidimus. In egregio Simonidis fragm. 7.

> κέλομαι, εὗδε βρέφος,
> εὑδέτω δὲ πόντος,
> εὑδέτω ἄμετρον κακόν.

utinam legi posset ἁμέτερον κακόν! Sed sic absolute, ut in Theocr. habemus, nemo verbum εὕδειν usurpavit. Nisi fallor, ortum illud ex εὖ δ' ἦν, et Theocritus dederat: εὖ δ' ἦς, ut fere v. 124. τάδ' ἦς φίλα, et v. 92. ἀλλ' ἦς οὐδὲν ἐλαφρόν. Contra quomodo ex elementis male divulsis εὗδε restituerim Nonno, nosti VIR ILLUSTRIS.

Impeditus est locus v. 145. sq.

> ἀλλ' ἦνθέ μοι ἅ τε Φιλίστας
> μάτηρ, τᾶσγε ἐμᾶς αὐλητρίδος, ἅ τε Μελιξῶς,

partim quia de nominibus propriis dubitatur, partim quia importunus est hiatus v. altero. Ad primum quod attinet, *Valkenarii* conjectura: ἅγε Φιλίστας μάτηρ, τᾶσγε ἐμᾶς αὐλητρίδος, ἅ γε Μελιξῶς propter ter repetitum γέ elegantia certe non commendatur. Sed *Valkenarius* ubique in his carminibus nimis favet huic particulae, injuriosus saepe in part. τέ. Equidem duo nomina, duarum sororum adesse putem; etsi video, verba fere ita comparata esse, ut, qui velit, duas etiam matres habere possit. Versu autem altero fortasse legendum: τᾶσδέ γ' ἐμᾶς αὐλ. aut τᾶσγε νέας αὐλ.

Denique antequam ab hoc Idyllio discedamus, vide mihi pulcherrimos vv. 151. sq.

> ἀτὰρ τέσον αἰὲν ἔρωτος
> ἀκράτῳ ἐπεχεῖτο, καὶ ἐς τέλος ᾤχετο φεύγων.

et cave, cum *Toupio* ἄκρατον scribas, quod metrum corrumpit, sen-

sum vero certe non emendat. Productio non erat excusanda versu Id. XXV. 69. allato, quod carmen, si Theocriti est, tamen ut magis epicum, magis etiam epicis licentiis abutitur. Deinde recte quidem noster Id. XIV. 18. ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον, ᾧτινος ἤθελ' ἕκαστος dixit, i. e. ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον ἔρωτος vel ἐρωμένης; sed potuit etiam alterum dicere: τόσον ἔρωτος, i. e. πολὺν ἔρωτα ἐπιχεῖσθαι ἀκράτῳ. Utrumque habes in venustissimo Meleagri ep. 98.

Ἔγχει, καὶ πάλιν εἰπὲ, πάλιν, πάλιν, Ἡλιοδώρας·
εἰπέ· σὺν ἀκρήτῳ τὸ γλυκὺ μίσγ' ὄνομα.

In praeclaro illo carmine, quod *tertium* est inter Theocritea, dolebas mecum, ILLUSTRIS OUVAROFF, de difficultate a *Valkenario* mota, quae v. 19. obsidet. Visum mihi est id, quod *Valkenarius* reprehendebat, hac non admodum difficili conjectura tolli posse:

οὐ, τὸ καλὸν ποθορεῦσα, τὸ πᾶν λίθος, οὐ, κυανόφρυ
Νύμφα, προσπτύξῃ με τὸν αἰπόλον, ὥς τυ φιλάσω;

ut interrogatio sit, qualis fere erat vv. 6. et 7. Imo ex hoc ipso v. 7. scribendum fortasse:

ὦ τὸ καλὸν ποθορεῦσα, τὸ πᾶν λίθος, ὦ κυανόφρυ
Νύμφα, πρόσπτυξαι τὸν ἐρώτυλον, ὥς τ. φ.

Neque enim magnopere discrepant: ΜΕΤΟΝΑΙΠΟΛΟΝ et ΤΟΝΕΡΩΤΥΛΟΝ; et αἰπόλον librarius eo facilius inferre poterat, quo saepius hoc voc. legerat et scripserat. Sed de v. seq. quo jure in hac sede legatur, semper quaeri poterit.

Versu 23. verbum compositum ἐμπλέξας mihi non probatur: etenim postulatur accusativus, ubi aliis alios flores inteximus, intertexímus. Recipiendum igitur e codd. ἀμπλέξας, quo non deterius foret συμπλέξας, si codd. auctoritas accederet.

Superest in hoc carmine locus quam maxime, ut mihi videtur, impeditus, v. 27.

κἤκα μὴ 'ποθάνω, τό γε μὰν τεὸν ἁδὺ τέτυκται.

Primum offendit negatio in priori sententia, deinde mirum illud τεὶν ἁδύ. TIBI quoque subabsurdus videbatur homo, qui, tragice se fluvio suffocaturus, mox eo, quod addit: „si vel *non* moriar, voluptas tamen tibi erit" — scilicet, aquis me non nihil refrigeratum esse, — omne pathos rursus in risum convertat. Imo ne tantum quidem sensus sani Graeca suppeditant, in quibus *tamen* non inest. Vertendum potius: „Et quando non moriar, hoc quidem (τὸ μὴ ἀποθανεῖν) omnino tibi gratum." Quod plane contrarium est ei, quod dicere debebat. Quanto dignius idem locutus est in fine carminis:

κεισεῦμαι δὲ πεσὼν, καὶ τοὶ λύκοι ὧδέ μ' ἔδονται.
ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο.

„In terram prostratus jacebo, et lupi me in hoc ipso loco devorabunt. Hoc demum ad instar mellis tibi erit." Ita vertendus locus, in quo versio Lat. male ὡς ad verbum retulit, vertens: *ut sit.* Hoc si volebat poëta, debebat ὡς γένηται. Junge γλυκὺ, ὡς μέλι etc. Quod autem absolute ponitur versus ult. convenit, puto, animo commotiori dicentis; etsi fieri potest, ut distinctione majori post ἔδονται deleta, scribendum sit χὡς, i. e. καὶ ὡς, optativo aoristi, suppressa part. ἂν, recte futuris juncto. Maxime vero, admissa *Reiskii* non ineleganti conjectura: κ' αἰ — ἔδονται, — τ. γένοιτο, verba conspirabunt cum corrupto, in quo haeremus, loco. In quo, instituta comparatione hoc saltem videtur effici, legendum esse:

κἤκα δὴ 'ποθάνω, etc.

In particulis αἴ κα δή non potest difficultas inesse, siquidem ἐπειδή cum conjunct. pro ἐπὴν δή dicitur, ut Odyss. μ. 55. et ὁπότε δή pro ὅταν δή, ib. λ. 105., et in ἐπειδάν primitus non tam δέ, quam δή videtur quaerendum esse. Notum: ἐὰν δὲ δή. Vid. *Viger.* p. 501. Germanice esset: *und wenn ich denn sterbe.* Vides, *Brunckium* idem fere voluisse; sed quod ille dedit: κἤκα μὰ 'ποθάνω, vereor, ne minus Graecum sit. — Sed recte *Brunckius* v. 25. e Codd. recepit: τηνῶ ἀλεῦμαι, ut fortasse etiam v. 10. Certe hiatus in τῆνα ἀλεῦμαι ferendus non est. Sed ambigi posset inter τηνῶ, et, quod saepius occurrit, τηνεί.

Sed restat, ut illud τεὸν ἁδὺ expediamus. Et ἁδὺ quidem ita substantive in his carminibus recte poni, nego. Legendum itaque suspicor:

τό γε μὰν τὶν ἁδὺ τέτυκται.

Dativum τίν longum esse, videor mihi non temere statuisse; etsi mirum est, hanc formam, quoties nunc occurrit in his carminibus, non occurrere, nisi in arsi, idque non tantum ante vocalem, sed et ante consonantem. Neque praetermittenda est editorum in cognato ἐμίν mira fluctuatio. Cum enim illud producta ultima satis frequens sit, etiam ante vocalem, (quamquam productio extra arsin occurrere hic nequit); tamen in duobus Theocriti locis, Id. V. 18. et VI. 36. ultima id correpta ab omnibus editur. Quod si falsum est, ut falsum esse videtur, *Brunckius*, qui ubique pro vulgato ἐμοί dor. ἐμίν introduxit, errorem hunc infinitis locis erravit, pariter in pron. τίν aliquoties lapsus, ut Id. VII. 50., ubi *Valkenarium* etiam comitem habet. Neque vero in hac disputatione provocandum est ad accusat. νίν et μίν, ob id ipsum, quia accusativus hic, non dativus est, ut, si analogiam urgeas, id ad summum unice ad pron. τίν, in accus. positum, referri possit. Sed neque hoc probabile. Denique dat. pronominis tertiae pers. ἵν omnium rarissime occurrit, ut nec inde auxilium petere liceat. Iam haec oritur dubitatio: Si in his dativis syllaba ιν semper longa est, quid scribere oportet in iis Doricorum poëtarum locis, ubi brevis syllaba requiritur? Si communem formam ἐμοί dicis, dorica dialectus ex hac parte imperfecta arguitur; quod nescio, quo jure fieri debeat. In altero pronomine saltem encliticum τοί adest. Ita pro ἄν habent longum κᾶ, sed, nisi fallor, in iis tantum locis, ubi cum αἴ jungitur; (quod supra erat Id. II. 142. ὥς κα suspectum est, mutandum fortasse in ὥς κεν, aut adeo ὥς ἄν,) habent et breve κά, rursus tantum in ὅκα et ὅκκα, et praeterea κέ et κέν, de quibus infra plura fortasse videbimus. Videntur tamen utique plures ejusmodi defectus in lingua Doriensium poëtica ostendi posse. Ita in vulgari lingua verborum formis in σι et addere et demere licet ν ἐφελκυστικόν, ut sic et hiatus evitari possit et positio effici. Sed qui cum *Brunckio* ubique φαντί, all. scribunt, utrimque

3

laborabunt (cf. Id. VIII. 42. 46. XVII. 38.) quod nescio, an *Brunckius* perpenderit. An his quoque formis ν ἐφελκ. addi potest?

Redeo ad conjecturam supra propositam, quae, si nihil difficultatis superest in re metrica, certissima videri debet. Sed si quis τίν ita recte produci negaverit, debebit ille, puto, admittere τεΐν aut τέϊν, si fortasse accentus in quantitate discrimen facit: video enim, utrumque scribi. Cf. Greg. Cor. ed. Sch. p. 84. sq. et p. 267. et τεΐν quidem in Homero editur, ubi ultimam corripere non potest. Sic esset summa similitudo cum antiqua lectione. Imo adesset etiam rarior forma τίνη, vid. Greg. Cor. p. 267. si hac via procedere liceret. Equidem tamen ita statuo, ut ι in his formis omnibus longum existimem.

Pergens in Theocrito, obiter mecum emenda Id. nostri v. 41.

μᾶλ' ἐνὶ χερσὶν ἔχων, δρόμον ἄνυεν.

nam, quod editur, ἑλών minus convenit dativo cum praepositione sua. Cf. ad Id. VIII. 36.

Ridebas, ILLUSTRIS OUVAROFF, semper magnam conjecturarum farraginem, quam in famosum illum locum Id. IV. 11.

πεῖσαι τοι Μίλων καὶ τὼς λύκος αὐτίκα λυσσῆν,

effuderam, antequam id invenirem, quod plausum apud TE tulit. Sensus postulat rem, quae proverbiali quadam locutione inter incredibilia referatur. At luporum rabies, ut recte observat *Jacobsius* praefat. ad Bion. et Mosch. p. X. tantum abest, ut incredibilis sit, ut eam nimis cognitam doleamus. Sed proverbiales in illum sensum locutiones plures poni poterant, veluti:

πεῖσαι τοι Μίλων καὶ τὼς λύκος ἀμνίδ' ἀλύσκειν,

aut οἶϊδ' ἀλ. vel orientali imagine: ἀμνίδα κύσσαι, etsi sic articulus fortasse non satis commode potuisset omitti; vel:

πεῖσαι τοι Μίλων καὶ τὼς λύκος αὐτίκα νύσσαν,

quod ad rem praesentem faceret, et sensum haberet, si de lupi dexteritate fortasse non melius statuendum, quam de urso. His tamen facile palmam eripere poterat *Jacobsii* conjectura l. c.

πείσαι τοι Μίλων καὶ τὼς λαγὸς αὐτίκα λυσσῆν.

quod proverbium redolet, quale Non. Dion. XIV. 123 sic extulit:

νόσφι μόθοιο λέοντες, ἐνὶ πτολέμοις δὲ λαγωοί.

ad quod rursus mire alludit, Dionys. XXXVI 65. Premitur tamen haec emendatio hoc incommodo, quod, cum plura animalia rabiem experiantur, ea vel in lepore non plane incredibilis videatur: qua cogitatione ipsam sententiae vim deprimi et elevari necesse est. Quod incommodum tollitur, si mecum legis:

πείσαι τοι Μίλων καὶ τὼς λίθος αὐτίκα λυσσῆν.

Iam λυσσᾷν in universum est: *furere*, *agitari*, *moveri*, et convenit proverbium πάντα λίθον κινεῖν, undecunque ortum; inprimis si ea ejus origo, quam *Reiskius* putat ad Id. VI. 18. Alludit simul ad rude Aegonis et ficulneum ingenium, ut cum lapide comparari possit, ut simili sensu supra Id. III. 18. τὸ πᾶν λίθος dici vidimus. Denique conferendae sunt eae imagines, in quibus aliquis ipsis lapidibus sensum, amorem, admirationem inspirare dicitur, ut de formoso puero, Philostrat. epist. 50. p. 938. in loco corruptissimo, f. sic legendo: κἂν τε ἐμβατεύῃς ἐπὶ λίθων, ποιμαίνειν μοι δοκεῖς, καὶ καθῆσθαι πείθων τοὺς λίθους: ita certe seqq. convenirent; vel: κἂν τε ἐπὶ λιθοξόον τινὰ ἐλθών, ποιμαίνειν etc. Philostrati πείθειν τοὺς λίθους apte *Jacobsius* ad Straton. ep. 55. A. B. II. 372. πειράζειν τὸν λίθον comparavit. Cf. ejusd. Strat. ep. 14. καὶ ξύλον αἰσθάνεται, et Meleagri ep. 13.

Καὶ πέτρον τήκω, χρωτὶ χλιαινόμενον.

et poëtae incerti ep. 22. ἁ πέτρα θρυπτομένα θέρεται; denique elegantem Plauti locum, Poenul. I. 2. 77.

Nam illa mulier lapidem silicem subigere, ut se amet, possit.

Lapides, Orphei et Amphionis lyra motos, taceo.

Iam vide mihi v. 34.

Αἴγων ὀγδώκοντα μόνος κατεδαίσατο μάσδας.

Si per se haec dicerentur, non haererem, sed putarem, hominem voracem lepide describi, inprimis si distingueretur:

Αἴγων ὀγδώκοντα μόνος — κατεδαίσατο μάσδας,

aut scriberetur adeo:

Αἴγων ὀγδώκοντα μόνος κ α τ ε δ ύ σ α τ ο — μάσδας,

ut inexspectata conversio, more Aristophanis, inesset, quasi dicturus fuisset: κατεδύσατο μάχας, veluti pugnas navales, propter Lacinium ante memoratum. Sed quod sequitur de tauro, magna vi domito, videtur omnino seriam sententiam postulare. Si recte conjicio, haesit etiam Graecus interpres; dicit enim: ὡ ς ἔ ο ι κ ε διὰ τὴν ἀδδηφαγίαν κ. τ. λ. Quid si dedisset:

Αἴγων ὀγδώκοντα μόνος κ α τ ε δ ύ σ α τ ο μ ά σ θ λ α ς,

ut μάσθλαι eo modo dicantur, quo alibι ἱμάντες apud pugiles, et sententia sit, πολλὰς κατεδύσατο πυγμάς, *plurimos subiit pugilatus.* Praeterea v. 33. malim καί τ ε ποτ. et mox v. 35. τ ῆ ν ο ς, ὃ καὶ τὸν τ. ut verba magis coëant. Neque tamen me fugit, ejusmodi pugilem et athletam more antiquo voracitatem decere.

Versu 52. si editur ταὶ ἀτρακτυλλίδες, metrum sanum non est, nisi de synizesi cogitarunt. Scribendum saltem τἀτρακτυλλίδες, nisi plura mutanda.

Denique v. 60. cum editur:

ἀκμάν γ' ὦ δειλαῖε· πρώαν γε μὲν αὐτὸς ἐπενθών —

ut v. 4. Id. seq. σύριγγα πρώαν — licet dubitare de correpta prima in πρώαν. Saepe quidem in Theocrito, qualis nunc est, occurrit ποιεῖν prima correpta; sed id in ποεῖν, Doriensium more, mutandum esse, dudum observatum, conf. Greg. Cor. ed. Schaeferi p. 75. Igitur nescio, an correptio in πρώαν satis defendatur locis, ubi τοιαῦτα hac mensura occurrit: Id. XI. 18. ἄειδε τοιαῦτα, et XVIII. 32. ἔργα τοιαῦτα, praesertim cum priori loco duo Codd.

varient, τοιαῦτ' ᾔειδεν, et posteriori loco, imo etiam priori, τοσαῦτα facile conjici possit. Cf. ad Id. XIV. 32. et XV. 11. In Homero notabile inter alia exemplum est ἔτε ληΐστή, Il. IX. 408. Δηΐους et similia scribendum puto δῄους, ut in δηόω, et ut simili loco ἠών, non ἠϊών, scribi solet. Sed in nostro fortasse rectius legeris aut τὸ πρίν, aut adeo τὸ πράν. Accedit, in priori Theocriteorum loco πράν, non πρώαν, vulgo legi.

TE non fugit, ILLUSTRIS OUVAROFF, locus ambiguus, Id. V. 85.

Καί μ' ἁ παῖς ποθορεῦσα, τάλαν λέγει, αὐτὸς ἀμέλγεις;

Pronomen αὐτός si sanum est, proxime hoc sensu dici potuit: *tu ipse mulges, adeo pauper, ut puerum, qui faciat, non habeas?* Sed si praeterea nihil sibi voluit puella, non magnopere lepida fuerit. Obscurum etiam, quo sensu verba πλὰν δύο, v. 84. accipienda sint; utrum voluerit: πλὴν δύο τῶν διδυμητόκων αἰγῶν, τὰς λοιπὰς ἀμέλγω πάσας, an: αἶγες, ἃς ἀμέλγω, διδυμητόκοι εἰσὶ πᾶσαι, πλὴν δύο. Iam etsi in foecunditate capellarum, quae aut omnes, aut paene omnes gemelliparae erant, felicitatis imago inest, rursus tamen pauper videri debebat, qui capras, partum alentes, mulgere cogebatur. Neque enim omnes facile tales erant, qualem describit noster Id. I. 25. s. Cf. Virg. Ecl. III. 30. Haec si perpendis, illud αὐτός fortasse et hoc significabit: *tu ipse eas mulges, cum tamen lacte foetus nutrire debeant.* Aut ex hoc fonte legendum est id, in quod mecum ipse incidebas:

τάλαν, λέγει, αὔας ἀμέλγεις.

capras siccas, quarum ubera a foetu, quem alunt, jam exsiccata, pauper mulges. Immo αὔος, dor. acc. tentari posset, ex auctoritate *Schneideri*, qui in Lex. s. αὖος generis communis putare videtur; sed βόας αὔας habet Hom. Il. λ. 137. αὔας φαγός, noster, Id. IX. 19. cf. VII. 70. XVI. 12. quod commemorare poterat *Passovius, Gr. Wörterb.* p. 103. Alio sensu noster rursus βόας αὐοτέρας habet Id. VIII. 48. Iam recte Lacon v. s. suas casei divitias opponeret. Verum ex hoc ipso Laconis responso, et quod ille v. 87. habet, videtur in verbis, αὐτὸς ἀμέλγεις ejusmodi nequitia latere, qualem in alio verbo velato

habet Straton. ep. 11. A. B. II. 361. in cujus v. 2. legendum videtur φ ύ σ ε ω ς φάρμακον ἀ ν τ ί δ ο τ ο ν, et v. 4. σιγῶ, ν α ί· θεραπεύσατ' ἐμέ. Fatendum tamen, ita puellam hanc paulo liberius loqui. Proverbialem cum verbo ἀμέλγειν dictionem vid. Id. XI. 75. τὰν παρέοισαν ἄμελγε.

Versu 90. non dubitabis, quin vera lectio sit ὁ Κρατίδας, non quod *Casaubonus* voluit ὁ Κ ρ α τ ί δ α sc. υἱός, si v. 99. comparaveris, ubi donum noster offert Κρατίδᾳ, et Κ ρ α τ ί δ α, sine articulo, corrigere non licet. Neque vero patri ille pueri donum ibi dedisse putandus est, ut apparet e loco parallelo, v. 96. in quo alter donum offert τᾷ παρθένῳ, non ejus patri. Neque denique in Κρατίδας cum Scholiasta ad Id. VII. 21. καὶ τὸν Εὐμήδην, υἱὸν ὄντα τοῦ Κρατίδα, Κρατίδαν καλεῖ καὶ αὐτόν, de Eumede cogitandum, qui v. 134. occurrit. Cum enim eo loco, ubi Lacon Eumedem celebrat, ex adverso Alcippen praedicet Comatas, qui hic Clearistae, alius puellae, amoribus superbit; concinnitas postulat, ut et Lacon hic alium et diversum ab Eumede puerum canat: atque is est Cratidas. Sunt igitur uni cuique pastorum duo diversi amores.

Vers. 102. sq. editur:

Οὐκ ἀπὸ τᾶς δρυὸς, οὗτος ὁ Κώναρος, ἅ τε Κυναίθα,
τουτεὶ βοσκησεῖσθε ποτ' ἀντολὰς, ὡς ὁ Φάλαρος;

Verba ποτ' ἀντολάς nimis docte TIBI ad oves videbantur dici; verissime, si quid video. Neque recte hic versus interrogative capitur. Versus praecedentes 100. sq. qui nostris respondent, ostendunt, in priori tantum versu esse interrogationem, etsi incertum est, utrum distinguendum sit post δρυός, an post Κυναίθα, posteriorem vero versum continere mandatum, futuro, imperativi loco posito, nisi fortasse in hunc modum scribere malis:

τουτεὶ βοσκησεῖσθε ποτ' ἀ μ π έ λ ο ς; ὥ ς, ὁ Φάλαρος!

hic pascere vultis circa vites? cf. v. 109. *Sic, o Phalare!* scil. sic recte facis, sive canis sit, sive aries. Vel: ὧδ', ὦ Φ. *huc ades!* Sed desidero fere articulum, ante ἀμπέλως, itidem desiderandum, si quis,

sine interrogatione, e v. 128. ποτ' αἴγιλον tentaret. Optime locus cum v. 101. conveniret, ita scriptus:

τουτεὶ βοσκησεῖσθ' ἐπὶ τὸ κλέτας, ὡς ὁ Φ.

vel, si facilius videretur, ἀνὰ τὸ κλ. Sed utrumque TIBI justo audacius videbitur. An:

τουτεὶ βοσκησεῖσθ' ὅπα ὡ'πέλος, ὡς ὁ Φ.

relate ad Comatae verba v. 101. cf. v. 110. Contrarium mandatum dabatur initio Idyllii, v. 1 — 4.

Versu 127. vera est sine dubio lectio: τᾷ κάλπιδι κηρία βάψαι, quae poëtica est inversio pro τὰν κάλπιδα κηρίοις βάψαι. Synizesin in κηρίω, eamque in hac versus sede, nemini crediderim.

Versu 131. lege *Schreberi* observationem in ed. *Harlesii*, et facile videbis, unice verum esse id, quod *Bod. a Stapel* voluit: ὡς ῥόδα κίστος; certe nisi ῥόδα scribitur, non est, quo particula ὡς referatur.

Suspectam aliquando habuimus, ILLUSTRIS OUVAROFF, oppositionem, quae est in verbis Idyllii VI. v. 2. 3.

ἦς δ' ὁ μὲν αὐτῶν
πυῤῥὸς, ὁ δ' ἡμιγένειος. —

Fluctuat etiam interpres Graecus, cum priorem nunc altero juniorem, nunc adultiorem putat. Sed sana est lectio et oppositio justa, modo suppleas: πυῤῥὸς τὸ γένειον, quod de juniore accipiendum. *Vossius* p. 64. obscure ita vertit, ut contrarium statuisse videatur. Explicationem nostram firmat Id. XV. v. 130. ubi de Adonide est:

οὐ κεντεῖ τὸ φίλαμ' ἔτι οἱ περὶ χείλεα πυῤῥά,

quem locum, modo tollas ineptam distinctionem ante ἔτι, quo minus cum *Valkenario* et *Brunckio* et ipsum vitii suspectum habeas, vetat tertius, Id. VIII. v. 3.

ἄμφω τώγ' ἤτην πυῤῥοτρίχω, ἄμφω ἀνάβω,

Nam πυῤῥοτρίχω hi non dicuntur propter flavos capillos, sed propter flavescentem primam barbae lanuginem: quo eodem sensu

Adonidis χείλεα πυῤῥά neque colore rosea sunt, quo significatu nemo unquam τὸ πυῤῥὸν dixit, aut dicere potuit, neque barba grandiori horrida, sed eadem illa prima, quae osculantem non pungit, lanugine flaventia. In nostro igitur loco alter est adhuc mento leviter flavescente, alter jam semiberbis. Si contrarium voluisset poëta, potuisset fortasse pro πυῤῥός scribere πυκνός, ut hic densam jam barbam habuisse, alter semiberbis fuisse diceretur. Cur vero in vocab. ἡμιγένειος haeserit *Schneiderus* in Lex. suo, plane non video, nisi fortasse et ille, aliter accepto πυῤῥός, aliam oppositionem in ἡμιγένειός quaesivit. Vocabula ἡμιγένειος et ἠϋγένειος, ut opposita, exacte sibi respondent.

Versu 7. miratus est *Valkenarius*, cur loco lectionis vulgatae:

δυσέρωτα τὸν αἰπόλον ἄνδρα καλεῦσα,

Reiskius δυσερώτατον contra loquendi usum voluerit. Offendebat eum articulus, nisi fallor, et est, cur offendat. *Valkenarius* enim cum locum nostrum ita exponit: „*caprarium*, τὸν αἰπόλον, *vocabat* ἄνδρα δυσέρωτα," sensum fortasse non satis accurate cepit. Neque enim vocabulum ἄνδρα referendum proxime ad δυσέρωτα putem, sed ad αἰπόλον, ut haec alibi junguntur, cf. Id. I. v. 86. Galatea Cyclopem per contumeliam vocat αἰπόλον ἄνδρα, plane eodem sensu, quo Daphnin Priapus, Id. I. 86. sqq. imo αἰπόλον δυσέρωτα. Etsi enim ille ferebat amorem, aut aequo animo ferre simulabat, tamen ob id ipsum, quod ausus erat, Galateam amare, amoris et cupiditatis impotentiam ostenderat. Sed sic expectes aut nullum articulum, aut δυσέρωτά τιν᾽ αἰπόλον ἄνδρα κ. et fortasse poëta ita scripsit. Defendendus tamen articulus, quo Cyclops eminenti sensu δύσερως ὁ αἰπόλος vocari potuit. Sed praeterea, quia praecedit: βάλλει τὸ ποίμνιον, hic pronomen σέ vix satis commode omitti videtur. Iam si constaret, τίν, accusativo saltem casu, (de dat. ἐμίν v. 36. cf. v. 37. dictum supra; vide ad Id. III. v. 27.) breve esse, apte fortasse conjici posset:

δυσέρωτα τὶν αἰπόλον ἄνδρα καλεῦσα.

vel, si hoc negatur, ut supra suspicatus sum:

βάλλει τοι, Πολύφαμε, τὸ ποίμνιον ἁ Γαλάτεια
μάλοις, τὶν δυσέρωτα τὸν αἰπόλον ἄνδρα καλεῦσα.

Sic non videtur opus esse eleganti caeteroquin conjectura *Jacobsii* λαθεῦσα, Praef. ad Bion. et M. p. XIII.

Versu 38. querebaris mecum, VIR ILLUSTRISSIME, de verbo parum eleganter repetito, quod v. anteced. praecessit. Verba sunt:

— — καλὰ δ' ἐμοὶ ἁ μία κώρα
(ὡς παρ' ἐμὶν κέκριται) κ α τ ε φ α ί ν ε τ ο· τῶν δέ τ' ὀδόντων
λευκοτέραν αὐγὰν Παρίας ὑ π έ φ α ι ν ε λίθοιο.

Et haec quidem repetitio eo minus aliis locis, ut Id. VII. 8. 11. ubi idem verbum repetitum, defendenda esse videtur, quia praeterea sensus laborat. Durum enim est, ad verbum ὑπέφαινε supplere e v. 35. voc. πόντος, nimis remotum. Accedit, esse sententiam, quae facile infinitis modis variari potuerit a poëta longe elegantissimo. Fortasse totum illud φαῖνε debetur oculo librarii, ad versum praeced. aberranti, cum tale quid dedisset poëta:

τῶν δέ τ' ὀδόντων
αὐγὰ λευκοτέρα Παρίας ὑ π έ λ α μ π ε λίθοιο,

vel μάρμαιρε, ἄστραπτε, σελάγιζε, ἀμάρυσσε, etc. Servari etiam posset ordo verborum ab initio, salvo metro: λευκοτέρα αὐγὰ Π. aut tentari:

τῶν δέ τ' ὀδόντων
λ ε υ κ ο τ έ ρ ω ν αὐγὰ Παρίας ἀ π έ λ α μ π ε λίθοιο.

Versu sequenti nota mihi part. δέ, post tria vocabula positam, quod rarum est in his carminibus, si recte memini, unicum exemplum. Excusatio tamen in eo est, quod binae conjunctiones ὡς μή veluti in unum vocabulum coëunt, uti ὥστε, ὥσει, all. Ut autem vel in accuratissimis poëtis hae particulae ponuntur post nomen cum praepositione junctum, ita idem fit post verbum et conjunctionem, aut aliam ejusmodi voculam. Nemo in his scrupulosior

4

est Nonno; ille tamen dixit: ἢν ἐθέλῃς δέ, p. 770. l. 23. ὡς ἐθέλεις δέ, p. 872. l. 28. ὡς δοκέω γάρ, p. 850. l. 5. ὡς κοτέων δέ, p. 440. l. 13. ὡς δολόεις δέ, p. 844. l. 7. οὐ χατέεις δέ, p. 466. l. 26. οὐ δύνασαι γάρ, p. 976. l. 24. οὐ σκοπιὴν δε, p. 408. l. 20. et similis Musaeus, εἰ ἐτεὸν δέ, v. 219.

Versum 45.

ὠρχεῦντ᾽ ἐν μαλακᾷ ταὶ πόρτιες αὐτίκα ποίᾳ —

malim, ut aptius antecedentibus jungere me doceas, quam addita fortasse particula καί, ut: κ᾽ ὠρχεῦντ᾽ ἐν μ. nunc enim nimis hiat.

In Id. VII. v. 8. cum editur:

αἴγειροι πτελέαι τε εὔσκιον ἄλσος ἔφαινον,

displicet mihi magnopere hiatus in verbis: τε εὐσκ. Qui versum 3. obsidebat hiatus, e codd feliciter emendatus est; hic ad conjecturam fugiendum. Brevissimum esset, scribere: πτελέαι τ᾽ ἠύσκ. sed huic conjecturae scio, quid obstet. Fortasse excidit vocula, veluti πτελέαι τε μάλ᾽ εὔσκιον, vel πτελέαι τε τὸ σύσκιον ἀλσ. aut poëta dedit πτ. τε δασύσκιον. In fine versus ἔφαινον ut sanum esse potest, fatendum tamen, multo elegantius dici potuisse ὕφαινον.

Versu 15.

ἐκ μὲν γὰρ λασίοιο δασύτριχος εἶχε τράγοιο

κνακὸν δέρμ᾽ ὤμοισι, ν. —

molestissima sunt duo epitheta, eodem plane sensu cum nomine τράγος conjungenda, ut recte et TU observabas. Vide, VIR ILLUSTRIS, utrum probabilior sit conjectura haec:

ἐκ μὲν γὰρ λαιοῖο δασύτριχος εἶχε τράγοιο —

i. e. *a laeva parte* in humeris gestabat etc. an potius ejusmodi:

ἐν μὲν γὰρ λασίοισι δασύτριχος εἶχε τράγοιο

κνακὸν δέρμ᾽ ὤμοισι, ν.

quod facile corrumpi in vulgatum potuit propter finalem versus terminationem, ad quam alludebat caesura tertii pedis. Equidem

postremum hoc paene verum putem. Versu 21. oratio magis esset poëtica, si scriptum inveniretur *μεσαμέριος*, nominat. casu, aut *μεσαμερίος*, accusat. dorico. Mox non aegre ferrem, si v. 24. in secundo pede numerus esset paulo elegantior; an legendum:

ἢ μετὰ δαῖτα τὺ κλητὸς ἐπείγεαι;

ut τύ erat eo versu, unde digressi sumus?

Versu 51.

τοῦθ', ὅ τι πρᾶν ἐν ὄρει τὸ μελύδριον ἐξεπόνασα,

ἐν ὄρει defendendum e v. 92 et tanquam aptissimum in pastore ὀρεινόμῳ. Vide, si tanti est, quae ad Meleagri ep. XXVII. v. 5. olim adnotavimus. Illud ὤρῃ, quod voluerunt, sine praepositione mihi quam maxime a Theocrito abhorrere videtur. Versu sequenti in gratiam dialecti fortasse restituendum: ἐσσεῖτ' Ἀγεάνακτι κ. πλ. ut haec forma recurrit infra v. 67. Sed circa dialectum plurima adhuc desideranda supersunt. Quod v. 62. editur, εὔπλοον ὅρμον, nemo dixerit: non portus est εὔπλοος, sed nauta; scribe igitur εὔπλοος ὅρμον ἵκοιτο. Versu 70. legitur vulgo:

αὐταῖσιν κυλίκεσσι καὶ ἐς τρύγα χεῖλος ἐρείδων,

Hic TU mecum haerebas in verbis αὐταῖσιν κυλίκεσσιν, aut αὐταῖς ἐν κυλ. κ. ut *Valkenarius* praepositionem supplebat; idemque mecum, vere puto, emendabas:

αὔαις ἐν κυλίκεσσι καὶ ἐς τρύγα χεῖλος ἐρείδων,

Verba jungenda sunt in hunc modum: ἐνερείδων χεῖλος κυλίκεσσι, καὶ ἐς τρύγα αὔαις, id quod plane respondet Horatii *cadis cum faece siccatis*, cf. Id. V 85. Sequitur locus fere desperatus v. 73.

ὥς ποκα τᾶς ξενέας ἠράσσατο Δάφνις ὁ βώτας.

Concedi fortasse potest, Graecos, cujus nomen dicere aut noluerint, aut nesciverint, vocasse ξένον et ξένην; quamquam ne hoc quidem locis hucusque allatis plene probari videtur. Sed propterea saltem nondum hoc concedendum, eodem modo ξενέαν, idque hic, pro ξένην dici. Saepe dixit Theocritus ξεῖνος et ξένος; sed ξένεος praeter hunc

4"

locum non amplius occurrit, vocabulum ambiguae auctoritatis et fortasse nullius. Cum ductibus vulgatae lectionis proxime conveniret τᾶς τε νέας ἦρ. Δ. ubi particula τὲ responderet sequenti καί, in hunc modum: ὥς ποκα καὶ ἠράσσατο Δ. καὶ ἀμφεπολεῖτο ὄρος, καὶ δρύες ἐθρήνευν. Premitur tamen et haec lectio ea difficultate, quod in Theocrito quidem νέα ita pro κόρη aut παρθένος non videtur amplius occurrere. Caeterum κώραν dixit de his Daphnidis amoribus noster Id. I. 82. ut παρθένον Nonn. Dionys. XV. 308. An igitur τᾶς τε νύω ἦρ.? Sed magis omnino probabile est, latere nomen proprium. Et ex cognitis quidem nominibus, quibus Daphnidis amores veniunt, proximum esset τᾶς Νομίας, cf. Serv. ad Virg. Ecl. V. 20. nisi adeo in hunc modum tentare malis:

ὥς ποκα τεῦς, Ἐχεναΐς, ἠράσσατο Δάφνις ὁ βώτας

quod certe non multo audacius propositum, quam *Brunckii* τᾶς Νύμφας. Neque tamen me fugiunt, quae acute circa hoc nomen monuit *Jacobsius*, Praef. ad B. et M. p. V.

De loco, v. 99. sq.

οἶδεν Ἄριστις,
ἐσθλὸς ἀνὴρ μέγ᾽ ἄριστος, ὃν κ. τ. λ.

equidem sic statuo, ut pro ἄριστος nomen Ἄριστις repetendum putem vel invitis libris omnibus. Quis unquam conjunxit: ἐσθλὸς ἀνὴρ μέγ᾽ ἄριστος, quo nihil vidi languidius! Sed in repetito nomine proprio magna vis non sine elegantia inest, et amat poëta tales repetitiones, cf. vv. 57. et 59. 118. et 119. 149. et 151. Ipsum etiam illud postpositum μέγα, apte cum ἐσθλὸς junctum, habet aliquid gravitatis.

Versu 111. sq. minime opus est *Hemsterhusii* parum eleganti conjectura, quae nexum cum antecedentibus tollit. Nam Ἠδωνοί sunt hic, ut in poëta, Thraces in universum, et sic Hebrus, Thraciae fluvius, optime convenit. Qui geographum in poëta quaerebat, poterat fortasse Ἢ Ἕβρον, i. e. ἢ Ἕβρον, vel Ἕβρον τ᾽ ἂμ ποταμόν

tentare. Versu 114. oratio non nihil erigeretur, si scribi posset: οὐδ' ἔτι Ν. ἐρ.

De versibus 122. sqq.

μηκέτι τοι φρουρέωμες ἐπὶ προθύροισιν, Ἄρατε,
μηδὲ πόδας τρίβωμες· ὁ δ' ὄρθριος ἄλλον ἀλέκτωρ
κοκκύσδων νάρκαισιν ἀνιαραῖσι διδοίη·
εἷς δ' ἐπὶ τᾶσδε, Φέριστε, Μόλων ἄγχοιτο παλαίστρας.

equidem judicandum puto aliter, ac fecit *Jacobsius*, Praef. ad B. et M. p. XVI. sq. Non sunt amatorum verba, ut mulierum de Philino jam exoleto judicium praecessit; sed Simichidae ad Aratum amicum dicta, quibus illum hortatur, ne amplius Philini limen frequentet. Fingit Simichidas, se nunc cum Arato, ante Philini fores excluso, et ipsum stare, et ad illum verba facere. Apte igitur Ἄρατε, vocandi casu, et mox ad eundem Aratum v. 125. Φέριστε, et v. 126. ἄμμιν de conjunctis Simichida et Arato: in quibus hoc placet, quod Arati amici res amicitiae quadam communione suas facit Simichidas. Sed longe aliud vitium sine dubio obsidet versum 125. Quis est iste Molon? unde ille? homo, qui nunquam in his carminibus recurrit. Si adeo ille infamis erat, ut ejusmodi brevis commemoratio sufficeret, saepius puto, inveniretur ejus nomen. Quid multa? legendum:

τὶς δ' ἐπὶ τᾶσδε, Φέριστε, μολὼν ἄγχοιτο παλαίστρας;

Simillima sunt εἷς et τίς, accedit, facillimum esse in litera prima errorem. Aptissime vero respondet pronomen interrogativum praecedenti ἄλλος, v. 123. Participium μολών, ut alibi saepe occurrit, ita neque in his carminibus deest, cf. Id. II. 96. XX. 38. Aliquoties etiam obscuratum est; ita κεῖσε μολὼν pro κεῖθι βαλών legendum, nisi fallor, in Non. Dionys. XXI. 247. cf. 263. In verbis ἄγχειν et παλαίστρα nequitiam inesse, non opus est, monere diligentem Anthologiae et Aristophanis lectorem.

Versu 129. ne in verbis ὡς πάρος, cum ἀδὺ γελάξας, v. praeced. jungendis, haereas, compara mihi, quaeso, versum 42. Denique

facile vides, v. 145. pro *ἅμμιν ἐκυλίνδετο* metri causa legendum esse *ἁμῖν ἐκυλίνδετο*, ut Id. VIII. 13. et alibi.

In Id. VIII. erat, cum TIBI conjecturae meae qualescunque prae caeteris probarentur; ne TE istius jam judicii poeniteat, ILLUSTRIS OUVAROFF, ubi eas TUO veluti periculo in publicum editas videris! Ita probabas, me *Valkenarii* nimis severum de pluribus hujus Idyllii versibus cum *Roevero* communicatum judicium minime probare; ut illud auctor ipse serius improbasse videtur. Passim enim aperte calumniatur. Ita p. 17. epistolae ad *Roeverum* injuriosissimus ille est, cum versum 27. damnat, contendens *ὁ Φάλαρος* esse hic nomen proprium, cui nomen appellativum *ὁ κύων* recte addi potuisse, mox neget. Atqui proprium nomen non esse, et oratio monstrat et res ipsa clamat. Menalcas loquitur de cane alius pastoris, quem e longinquo videt. Ipsius pastoris huius nomen ignorat, certe non affert, et ignorasse putandus est; unde igitur eum canis alienissimi proprium nomen scivisse et posuisse, demonstraturus erat *Valkenarius*? At recte describit canem, e longinquo visum, epitheton *ὁ Φάλαρος*; et verba *ὁ κύων ὁ Φάλαρος* non minus sana sunt, quam illa: *κεραὸς τράγος οὗτος ὁ μαλλός* in epigr. I. v. 5. Idem jam valet de vv. 65. et 86. — Sed ordine procedamus! —

Leve est, quod v. 18 male editur *ἔπείρσα*, ut Id. III. 9., pro *ἐπόασα*, nisi malis *ἐπόνασα*, ut Id. VII. 51. etsi in re non nihil diversa; et v. 24. *ἐπεὶ κάλαμός γε διασχισθεὶς διέτμαξεν*, ubi pro inutili fulcro legendum suspicor *κάλαμός ἐ δ. δ.*; denique quod v. 26. fortasse melius scriberetur et distingueretur:

τῆνον, πῶς; ἐνταῦθα τὸν αἰπόλον ἢν καλέσωμες! —

Sequuntur jam elegiaca illa, nisi rectius dixeris, epigrammatica, adeo elegantia et poëtica, ut ne unum quidem tetrastichon ab inepto versificatore, qualem critici nonnulli odorari sibi visi sunt, me quidem judice, facile excogitari potuerit. Decent haec tetrasticha poëtam, qui inter epigrammatarios non ultimus est, merito

elegantissimis Anthologiae Graecae lusibus aequiparanda. Sed ut in pulcherrimis Anthologiae epigrammatibus interpretes passim lapsi sunt, ita hic quoque aliquibus id accidit. Contingit enim antiquis poëtis interdum fere id, quod historiae scriptoribus contingere queritur Sallustius, Cat. 3. Probant et laudant in poësi antiqua critici, quibus inveniendis et ipsi suffecissent; sed damnant et rident, quaecunque ipsorum tenuis sterilitas extrudere non valuisset.

Neque vero mirum videri debet, pentametros carmini bucolico intertextos reperiri; sed dolendum unice de mira raritate eximii hujus exempli. Neque videbitur mirum ei, qui carminis amoebaei naturam rite perpenderit, ut quod totum parallelismo teneatur. Atqui parallelismo regitur inprimis et elegia in universum, et hocce epigrammati proprium genus. Longe vero perfectissimus parallelismus regnat in his alternis tetrastichis: unde simul omnis hujus loci critica explanatio, tamquam primario quodam fonte, derivanda est. Iam in omnibus ac singulis imaginibus exacte sibi respondent duo priora tetrastichorum paria, ut rursus illud par, quod ultimum locum occupat. Quod igitur sine parallelismo solum in medio relinquitur tetrastichon, vv. 49 — 52.

> Ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγῶν ἄνερ, ὦ βάθος ὕλας
> μυρίον, ὦ σιμαὶ δεῦτ' ἐφ' ὕδωρ ἔριφοι·
> ἐν τήνῳ γὰρ τῆνος· ἴθ', ὦ Κόλε, καὶ λέγε Μίλων',
> ὡς Πρωτεὺς φώκας, καὶ θεὸς ὤν, ἔνεμεν.

ita integrum esse nullo pacto potest. Sed intelligitur simul ex illo sententiarum et imaginum laudato concentu, quam inepte *Brunckius* duo postrema tetrasticha in unam, ut ita dicam, stropham conjuncta, uni Menalcae tribuerit, duobus antecedentibus tetrastichis similiter pro antistropha ad unum Daphnidem relatis. Ita enim omnia miserandum in modum confunduntur et conturbantur. Melius igitur alii solitarium illud et viduatum tetrastichon plane ejecerunt, ita certe vicinos versus non simul corrumpentes. Et pro fragmento saltem carminis Theocritei, quod versui 47. adscriptum in texta ir-

reperit, venditavit illud *Vossius*, versionis p. 282. Sed primum parum credibile est, propter unum Milonis nomen quatuor integros hujusmodi versus ibi adscriptos existimare. Deinde ita hi versus comparati sunt, ut, nisi ad nostrum Idyllium pertinuerunt, pertinuerint necesse sit ad Idyllium Theocriti aliud, nostro similius, quam ovum ovo. At tale, quod interciderit, carmen, tamque simile nostro, inter desiderata ponere, habet, nescio quid? quod rursus ab omni probabilitate abhorreat. Sed eo certe nomine probandus est *Vossius*, quod hos versus Theocrito non indignos judicavit. Plurimi enim hoc tetrastichon ejecerunt, ut indignum poëta nostro. Et potissimum quidem haeserunt in eo, quod ut maxime poëticum ita venustissimum est, bruto nimirum et muto animali ab amatore mandata dari, ad puerum amatum perferenda. Et *Reiskium* quidem clamare, *sibi parum poëticum et paene stultum videri, birco mandata dare perferenda, quae neque audiat bircus, neque eloqui et referre possit; bomini talia mandari a sapiente quidem*, hoc equidem non magis mirarer, quam aliam hujus grammatici observationem ad elegantissimos Anthologiae Graecae versus: (ἀδέσπ. ep. 58. A. B. III. p. 162.)

εἴθε ῥόδον γενόμην ὑποπόρφυρον, ὄφρα με χερσὶν
ἀραμένη χαρίσῃ στήθεσι χιονέοις.

„*Quid enim*, inquit, *mi bomo? rosa si esses, bomo non esses, sed* „*sensu voluptatis bujus imaginariae careres.*“ Vid. Miscell. Lips. nov. vol. IX. p. 182. Sed *Grotios* etiam et *Heinsios*, poëtas insignes, hic offendere, et ineptum τὸ πόλε, glandes pro frugibus, offerre; denique *Valkenarium*, elegantissimi judicii virum, haec *satis absurda* vocare, hoc equidem non possum satis mirari. Atqui locus noster cum elegantissimis Anthologiae Graecae convenit. Ita *culex* similem nuntium perfert in Meleagri eleganti ep. 90. ita fere *apis* apud eundem ep. 108. cf. Straton. ep. 88. A. B. II. 378. ita denique *apis* nuntii ministerio fungitur in antiqua fabula, quam de Rhoeco et Nympha quadam commemorat Scholiastes Apollonii Rhod. ad Lib. II. v. 479. Neque vero est, cur in spondeis hujus tetrastichi, v. 51. 52. haereas, cum neque id turbent, quod bucolici numeri in hexametris desiderari possit, neque non eodem modo inveniantur in poli-

tissimis Anthologiae carminibus, ad quae haec unice exigenda esse, jam supra dixi.

Itaque et Theocriti esse hoc tetrastichon, et hujus Idyllii, equidem quovis pignore contendendum existimo; sed desiderari tantum, qui his versibus respondeant, totidem alios.

Iam etsi de nihilo Theocriti verba suppleri non possunt, locus tamen ita est comparatus, ut magnam conjecturis probabilitatem concedat. Et primum quidem hoc facile intelligitur, non totum Daphnidis tetrastichon post v. 52. intercidisse, si quidem Daphnis hic non puellam sed puerum amavit, ut e v. 47. (v. 55. propter ambiguitatem afferri non potest) et ex oppositis vv. 43. et 59. luce clarius intelligitur. Etenim Milonis, pueri a Daphnide amati, mentio huic ipsi tetrasticho inest. Neque vero res procederet, si quis, provocans ad vv. 72. et Idyllii ultimum, puellae vel Nymphae amatorem Daphnidem existimaret, pueri vero Menalcam, transpositis fortasse versibus 43. et 47. ita, ut sedem quisque suam cum altero permutaret. Primum enim ejusmodi transpositio non admodum probabilis est; deinde series canentium ita plane turbatur. Nam si post v. 52. supplendum esset tetrastichon Menalcae, mox duo postrema tetrasticha non tantum ipsa inter se sedem permutare deberent, sed simul ibi nominum inscriptiones inter se permutandae essent. Ita triplici mutatione opus est, ut efficias, Daphnidem hic quoque puellam seu Nympham amasse. Verum enim vero potuerunt duplices Daphnidis amores, puer et mox puella sive Nympha, si modo puellam, quam fugit, amasse putandus est, cf. v. 75. eodem profecto jure hic commemorari, quo supra ad Id. V. 90. duplex ejusmodi exemplum observavimus. Unum itaque, quod me mirum habet, hoc potius est, cur, Daphnide puellam commemorante vv. 72. — 80., non vicissim Menalcas puerum commemoret iis versibus, qui Daphnidis carmini respondent, vv. 63. — 70.

Neque vero Menalcae totum distichon ante v. 49. interiisse videri potest ita, ut tetrastichon, quod restat, Daphnidis sit, quia

hirci et caprarum mentio non ad Daphnidem, bubulcum, referri potest, sed necessario pertinet ad Menalcam, ovium pastorem, cf. vv. 1. 2. 63. et *Reiskium* ad Id. XXVII. 68. ubi μᾶλα *nomen ovillo et caprillo generi commune* verissime vocat.

Iam simul hoc efficitur, tetrastichon illud neque totum esse Daphnidis, neque totum Menalcae; sed conflatum esse e superstite disticho primo epigrammatis Menalcae, unde hircus et caprae memorantur, et relicto disticho altero epigrammatis Daphnidis, unde ad Milonem puerum nuntius mittitur. Locum itaque hoc modo reficere licebit:

ΜΕΝΑΛΚΑΣ.

Ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγῶν ἄνερ, ὦ βάθος ὕλας
μυρίον, ὦ σιμαὶ δεῦτ' ἐφ' ὕδωρ ἔριφοι·
ἐν τήνῳ γὰρ τήνα. ἴτ', ὦ φίλαι, εἴπατε δ' αὐτᾷ,
ὡς Φοῖβος ποιμνὰς, καὶ θεὸς ὤν, ἔνεμεν.

ΔΑΦΝΙΣ.

Ταῦρε φίλ', ἀργεννᾶν δαμαλᾶν πόσις, ὦ βάθος ὕλας
μυρίον, ὦ λευκαὶ δεῦτ' ἐφ' ὕδωρ δαμάλαι·
ἐν τήνῳ γὰρ τῆνος. ἴθ', ὦ Κόλε, καὶ λέγε τήνῳ,
ὡς Πρωτεὺς φώκας, καὶ θεὸς ὤν, ἔνεμεν.

Denique, ut illud statim hic subjungamus, necesse est, ut duo postrema tetrasticha, sed salvis suis inscriptionibus, ita transponantur, ut ordo canentium recte procedat. Quae transpositio non tantum propter haec antecedentia necessaria est, sed etiam propter versum 62. Quoniam enim mox inde a v. 63. rursus incipit Menalcas, probabile est, non eum ipsum, sed Daphnidem in priori serie postremum fuisse.

Quod vero lacunam attinet, quam supplere conati sumus, etsi de singulis verbis nihil affirmari potest, hunc tamen in universum deperditis colorem fuisse, omnino affirmaverim. Imago enim talis

est, ut accurate repeti et potuerit et fere debuerit, utque quam maxime probabile sit, eadem fere verba utrimque olim lecta esse. Unde rursus intelligitur, quam facile confusio inter describendum oriri potuerit. Aut enim librarius ab illo Menalcae ἐν τήνῳ γὰρ τήνα oculis aberravit ad inferius positum Daphnidis ἐν τήνῳ γὰρ τῆνος, quae errandi occasio augebatur adeo, si alterum tetrastichon priori similius fortasse ab initio ὦ ταῦρ', ἀργ. δ. habebat; aut fieri etiam potuit, ut laborem eadem fere verba bis scribendi subterfugiens, variantes lectiones alterius tetrastichi alteri tetrasticho superscriberet, ut fere in glossis Codicis cujusdam Paris. ad Theocriti

ἑρ κ

Id. VII. 22. *Bastius* scriptum reperit αἱμασίαισι, ut et ἑρμακίαισι et αἱμασίαισι legas. Vid. ad Gregor. Cor. ed. *Schaef.* p. 511. Similis ratio cum eadem confusione obtinet in Id. XXVII. circa v. 18. Fac ibi scriptum fuisse:

Δ: προ ελ
K. μὴ 'πιβάλῃς τὰν χεῖρα, καὶ εἰσέτι χεῖλος ἀμύξω.

et facile intelliges, cur alter de duobus simillimis versibus fere perierit.

Sed, ut jam dixi, de singulis verbis non contendo. Ita cum nomen proprium insit in his: ἴθ', ὦ Κόλε, κ. λ. nunc de tauro sumendum, praecessit fortasse aut id ipsum de hirco: ἴθ', ὦ Κόλε, κ. λ. κώρᾳ, aut: ὦ Μίτυλ', εἰπὲ δὲ τ. aut aliud, nescio, quod nomen proprium, ut: ὦ Κνάκων, λέγε τήνᾳ etc. Contra potuerunt haec etiam multo liberius et infinitis fere modis, etsi manente uno eodemque colore, variari et exornari, ut fortasse variatum est circa illud βάθος ὕλας μυρίον, et verba: δεῦτ' ἐφ' ὕδωρ, in quibus diutius ludentem haerere, taediosum esset.

Superest, ut de versu, qui in edd. est 51. nonnulla dicamus. Editur vulgo καὶ λέγε Μίλων', ὡς etc. (ubi lit. ν' cum apostropho saltem ad pentametrum referri debuisset,) elisione et per se difficili et multo magis hac versus sede. Non multo minori difficultate premitur altera lectio: Μίλῳ, pro Μίλωνι, vix aliis, iisque idoneis,

exemplis adstruenda. Sed fortasse poëta scripsit *παιδί*, vel *κώρῳ*, quod Milonis nomine, nescio quis? illustravit. Ut *τήνῳ* scriberem, eo me duxit lectio Florent. *μήλῳ*; et potuit fortasse gratiam quandam in isto ter repetito pronomine poëta quaerere, ut pronomina *αὐτός* et *ἐκεῖνος* saepe eminenti quodam sensu, in amoribus quoque, usurpari scimus. Cf. de hoc nostro pronomine Id. II. 40. 44. 60. 144. 145.

In Menalcae tetrasticho, quod ex mea quidem sententia ultimum antecedere debet (v. 57.), *Harlesius* edidit et conjunxit:

δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερόν· κακὸν ὕδασι δ' αὐχμός,

omnino male. Melius *Brunckius*, suppressa particula: *κακὸν ὕδασιν αὐχμός.* Sed particula *δέ*, mox necessario repetenda (v. 58.), neque hic sollicitanda erat. Simul illa monstrat, post *κακόν* distinguendum esse, ut etiam v. sq. *ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ* sine ejusmodi additamento, quale hic *κακόν* esse voluerunt, recte dicitur. Et quomodo tandem verba *φοβερὸν κακόν*, ita posita, idque in versu, si disjungenda sunt, ita pronuntiabis, ut id intelligatur? Sana est lectio vulgaris. Versu 58. errant, qui *ὕσπλαγξ* de *laqueo* accipiunt; imo est illud tenue lignum, quo laquei, pedicae, retia, et omnis ejusmodi dolus intenduntur, et sustentantur: *das Stellhölzchen*; ut neque hic criminandus sit Theocritus.

Denique in Daphnidis epigrammate, quod ultimo loco ponendum diximus, v. 53. legendum omnino *Κροίσοιο τάλαντα*, quod hic, post *Πέλοπος γᾶν* unice aptum et vere poëticum, confirmat quodammodo Id. X. 32. Sed difficile est ultimum distichon vv. 55. 56.

ἀλλ' ὑπὸ τᾷ πέτρᾳ τᾷδ' ᾄσομαι, ἀγκὰς ἔχων τυ,
σύννομα μᾶλ' ἐσορῶν, τὰν Σικελὰν ἐς ἅλα.

Cum in loco huic respondente, v. 59. *παρθενικᾶς* sit expressa mentio, hic quoque tale quid desiderari poterat. Certe pronomen *τύ* vel *σέ* sine vocativo sic poni non potuit; neque, si vel *ἕ* vel *νίν* pro *τύ* corrigas, res felicius procedit. Inprimis manet inepta illa con-

structio: ἰσορῶν σύννομε μᾶλα τὰν Σικελὰν ἐς ἅλα, cui ne addita quidem copula *Heinsius* colorem conciliavit: debebant saltem τὰν Σικελὰν π α ρ' ἅλα. Sed legendum omnino:

ἀγκὰς ἔχων τυ,

σ ύ ν ν ο μ ε Μ ῖ λ ο ν, ὁρῶν τὰν Σικελὰν ἐς ἅλα.

Observatum est, syllabam ον, per compendium scriptam, facile cum α permutari posse, vid. Greg. Cor. ed. *Schaef.* p. 771. unde vides, quam facile e ΜΙΛ fieri potuerit ΜΑΛΑ, quo facto, via ad ulteriorem depravationem patebat. Sic demum σύννομος, quod erotici poëtae frequentarunt, aptum est et elegans; aptum etiam ὁρῶν ἐς ἅλα, ut ὁρᾶν ἐς πόντον in loco simili Id. XI. 18.; clara denique oppositio cum puella Menalcae. Praeterea notandum, hanc Menalcae puellam nunquam nominari, puerum, nisi v. 51. certe v. 47. Sed erunt fortasse, qui hanc conjecturam grammaticis rationibus impugnent, negantes, dari in nomine Μίλων, cujus genitivus Μίλωνος, vocativum Μῖλον. Et novimus omnino canonem grammaticorum cum tribus, quas vulgo statuunt, exceptionibus: Ἄπολλον, Πόσειδον, et σῶτερ; neque ignoramus, in Id. X. saepius formam Μίλων pro vocativo occurrere, ut vv. 7. 12. etc. Sed neque dubitamus, fore ut in poëtis plures ejusmodi exceptiones reperiantur, si accuratius in hanc rem inquiratur. Ita in Philod. ep. 9. A. B. II. 85. editur Πεῖσον, neque quemquam haec lectio offendit, etsi locus talis omnino est, qualis neque Πείσων respuat, quod ep. 33. pro vocativo scribitur. — Obiter in priori Philodemi loco v. 3. conjicio ἤθεα σ ε μ ν ά, et versu ultimo τὴν δ' ἄρα γ' ἄ λ λ ο ς ἔχοι. — Praeterea respiciendum ad dialecti rationem: et, si Aeolicae dialecto haec vocativorum in ον correptio ut propria tribuitur, conf. Greg. Cor. *Schaef.* p. 595. sq. fortasse neque a Dorica illa aliena fuit. Denique notanda etiam quantitas in priori hujus nominis syllaba, quam Theocritus ubique produxit, cum alii passim eam, ut Lucill. ep. 20. A. B. II. 321. corriperent. Neque enim putem, ejusmodi correptum vocativum occurrere, nisi praecedente syllaba longa.

Sed in excutiendis his tetrastichis cum ad summam rem festinarem factum est, ut leviora quaedam in antecedentibus omitterem. Redi itaque mecum, ILLUSTRIS OUVAROFF, rursus ad eorum initium, quod TE lubenter facturum spero, ut in loco, prae caeteris TIBI caro.

Versu 33. θεῖον γένος unice ad ποταμούς referendum, ut v. 37. γλυκερὸν φυτόν ad βοτάνας, etsi fuerunt, qui aliter statuerent. Utrimque res est aperta; nota divina Fluviorum imago, divinum numen. Valles nemo dixit Deas. Fontes vero γλυκερὸν φυτόν appellare, plane absurdum est. Verba ἐκ ψυχᾶς βόσκειν, v. 35. dici puto, ut ἐκ θυμοῦ φιλεῖν, neque Menalcae ψυχήν intelligo, sed Fluviorum, ut Deorum, θείου γένους. Mox v. 36. lubenter probem conjecturam *Jacobsii*, Spec. Emendatt. p. 44. Δ. ἐ λ ῶ ν δαμάλας, e v. 73. ne verbum ἔχειν bis in eodem versu legatur. Contrariam confusionem inter ἑλών et ἔχων supra Id. III. 41. invenisse nobis videbamur.

Ex omnibus, quotquot in toto hoc loco ut Theocrito indigni versus passim a criticis notati sunt, unus v. 43. nisi probabiliter emendetur, et felicius, quam id tentavit *Piersonus*, prorsus non intelligens, quid quaeratur, talis est, ut hanc notam non facile subterfugere queat. Sed, nisi fallor, poëta dedit:

ἁ π α ῖ ς ἁ κ α λ ὰ ἔ ν θ' ἐπινίσσεται· αἰ δ' ἂν ἀφέρποι, —

Versu 46. sana sunt verba: καὶ δρύες ὑψίτεραι scil. εἰσίν; respondent haec illis v. 42. καὶ τὰ νέα τρέφεται. Dicit, Milone praesente laetius et altius crescere arbores. Nonnus ante Milonem eas inclinari venerabundas dixisset, cf. Dionys. XII. 272. Miror fere, neminem conjecisse: καὶ δρύες ε ὖ ψ ί θ υ ρ ο ι, quod, si de susurrantibus ante apibus sermo fuisset, haberet, quo se commendaret.

Iam progredere mecum, ILLUSTRIS OUVAROFF, in iis illustrandis, quae in hoc carmine adhuc expedienda supersunt. Versu 51. displicet mihi κακοφωνία in his:

ταῦτα μὲν ὦν δι᾽ ἀμοιβαίων οἱ παῖδες ἄεισαν.

neque tamen οὖν tentaverim, memor eorum, quae supra ad Id. II. 4. contra *Valkenarium* monui. Fortasse legendum: δι᾽ ἀμοιβαιᾶν, scil. ᾠδᾶν, ut saepe ad verbum quoddam substantivum ejus supplendum est. Versu 66. propter bucolicum numerum malim βαθέως ἅμα παιδὶ νέμοντα. Mox difficultas est in v. 68.

ταὶ δ᾽ ὄϊες, μηδ᾽ ὔμμες ὀκνεῖσθ᾽ ἁπαλᾶς κορέσασθαι

ποίας· οὔτι καμεῖσθ᾽, ὄκκα πάλιν ἅδε φύηται.

Duo hic sunt, in quibus haereas. Primum obscurum est illud: οὔτι καμεῖσθε, quo sensu dicatur. Fortasse οὐ cum futuro indicativi dictum est pro μή cum imperat. praesentis, aut conjunctivo aoristi, ut sine negatione saepe futura pro imperativis occurrunt. An legendum: οὔτι λαβεῖσθε etc. *Si rursus herba haec succrevit, vos nihil accipietis,* quia interea aut moriendum fuit, aut alio ad alia pascua discedendum. Sed sic τάχα, puto, adesset, veluti: οὐ τάχ᾽ ἔσεῖσθε, *fortasse non amplius eritis.* In quo, nescio, quid? humani sensus inest, minus apte ad bruta animalia translati. Sed videndum, ne superstitio quaedam pastoralis subsit, qualem habet Id. X. 46. et proinde legendum:

αἴ τι καμεῖσθ᾽, οὐκ ἂν πάλιν ἅδε φύηται.

si segnes estis, non recrescit herba, quo lectio Medic. quarti ὄκκ᾽ ἄν, *Reiskio* probata, quodammodo ducit. Idem esset: οὐ κεν, sed ἄν habes supra vv. 43. 47. et οὐκ ἄν, Id. XI. 59. Nam equidem certe, et id alterum est, quod in hoc loco offendat, non putem recte dici, aut ὄκκ᾽ ἄν, aut ὄκκα, ultima producta; sed, ut jam alibi rem tetigi, suspicor, aut scribi oportere αἴκα, aut ὄκα κεν. Nam ut in αἴκα saepissime longum occurrit κα, nunquam breve; ita in ὄκα et ὄκκα non putem occurrere nisi breve α. Probare autem ὄκκ᾽ ἄν, etsi aliquoties occurrit, propterea nolo, quia omnem dialectorum confusionem fastidio. Esset autem ὄκκ᾽ ἄν doricae cum vulgari dialecto inepta commixtio. Quod supra vv. 43. 47. bis erat: αἰ δ᾽ ἂν ἀφέρποι, etsi eodem modo laborare videtur, et scribi posset: αἰ δὲ κ᾽ ἀφ. (i. e. κέ) excusari tamen videtur interposita particula δέ.

V. 72. ubi Daphnidis carmen ita incipit:

κἄμ' ἐκ τῶ ἄντρω σύνοφρυς κόρα ἐχθὲς ἰδοῖσα —

haereo in verbis κἄμ' ἐκ τῶ ἄντρω, quem versum, si spectatur talis, qualis nunc est, eodem fere jure Theocrito indignum putat *Valkenarius*, quo v. 43. damnabat. Sed non tantum illud ἐκ τῶ ἄντρω Theocriteum non est; sed praeterea difficultas est in illo καὶ ἐμέ, quod apte dici non potuit, nisi alludebatur ad similem alterius narrationem, qualis hic certe non antecessit, cf. Id. V. 80. 82. 90. Si alludere eum dicas ad Polyphemi veluti classicam narrationem, Id. III. 6. locus quidem, quod rem attinet, omnino convenit; sed alludi sic ad eum potuisse, parum tamen probabile videtur. Itaque si vel maxime corrigas: κἠμὲ δ' ὑπὲκ τὤντρω, aut: κἠμ' ἐκτὸς τὤντρω, aut denique: κἠμ' ἔκτοσθ' ἄντρω, ut ἔκτοσθε παλαίστρας est Id. II. 51. tamen alteram de duabus difficultatem reliqueris. Nisi igitur olim aliud Menalcae carmen praecessit, ac quo nunc utimur, corrigendum fortasse:

Καλά μ' ἐκ τὤντρω σ. κ. ἐ. ἰ.

aut adeo, si duo epitheta καλὰ σύνοφρυς, uni nomini juncta, displiceant:

καλόν μ', ἐκ τὤντρω σύνοφρυς κόρα ἐχθὲς ἰδοῖσα,
τὰς δαμάλας παρελεῦντα, καλόν, καλὸν ἦμες ἔφασκεν.

quod propter seqq. non inelegans. Conjecturae, vide, an faveat, quod contra dorismum κἄμ' in libris reperitur; et simillima sunt ΚΑΛΑΜ et ΚᾹΛΜ et ΚΑΙΜ. Conf. de confusione in μᾶλα et Μῖλον v. 56.

Productionem in verbis, v. 74.

οὐ μὰν οὐδὲ λόγον ἐκρίθην ἄπο τὸν πικρὸν αὐτᾷ,

scis mihi semper displicuisse. Sed λόγων — τὸν μικρόν, ut fere malim, quam πικρόν, magis prosaicam elegantiam, quam poëticam sapit. An:

οὐ μὰν οὐδὲ λόγως ἐκρίθην ἄπο τὸς πικρὸς αὐτᾷ,

Fortasse *λόγοι οἱ πικροὶ* dicebantur solemnes lacessendi aut irridendi formulae, quibus ferocior juventus in tali caussa uti solebat. — Sed duo haec heroico genere concepta Menalcae et Daphnidis carmina omnino minus placent, quam superiora illa elegiaca. Accedit, id quod jam supra tetigi, ea minime ita sibi respondere, ut expectes. Quare si quis hic quaedam turbata et luxata dicat, me non magnopere obloquentem habebit. Numerum versuum utrimque decantatorum imparem esse, leve est, et facile tollendum. Videtur enim v. 77. omnino ejiciendus esse, ut ex Id. IX. (7.) similitudinis causa huc translatus, quemadmodum jam aliis visum est. Ita utrimque octo manent versus, et eatenus res bene se habet. Omnino enim in hujusmodi alternis carminibus numerus non est negligendus; sic septem utrimque versus vide Id. IX. 7 — 13. et 15 — 21. Nexus sententiarum fere hic est: *Vocavit me puella; at ego non respondi, sed transii: unice placent boves,* (est ille bubulcus et puerorum amator,) *et vita pastoralis sub dio: bubulci unicum decus boves.* Erat tamen, cum in alia omnia abeundum opinarer, loco in hunc fere modum scripto:

ἁ δέα δ' ἁ φώνα τᾶς παρθένω, ἁδὺ τὸ πνεῦμα·
ἁδὺ δὲ χὠ μόσχος γαρύεται, ἁδὺ δὲ χἀ βῶς.
τᾷ δρυῒ ταὶ β. κ. τ. λ.

versu 78. ejecto: e quibus illud *ἁ δέα δ' ἁ φ.* fortasse omnino recipiendum est.

Denique v. 91. edunt:

ὥτερος· οὕτω καὶ νύμφα γαμηθεῖσ' ἀκάχειτο,

verba, quae nullo pacto versum faciunt. Sed recte statuit *Heinrichius,* Observv. p. 63. acquiescendum esse in lectione *Caliergi,* a Gregor. Cor. (ed. *Schaef.* p. 274.) firmata:

οὕτω καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο.

Sed fallitur *Heinrichius* una cum *Koenio* l. c. cum negat, ultimam in *νύμφα* corripi *posse.* Nonne Homerus dixit: *νύμφα φίλη* Il. III. 130. et in bucolicis his carminibus, apud Bion. Id. XV. 28. omnes probarunt, quod editur: *σὺ δὲ, νύμφα, καθεύδεις.* Imo in Theocriti,

ut volunt, Id. XXVII. 51. tulerunt adeo: κῶρα φίλα, etsi illud fortasse mutandum in νύμφα φίλα, et ibid. v. 54. μίτραν eadem mensura; tulerunt et in Naumachii nuptt. monitt. v. 70. κῦρα, δύναιο, *Br.* Gnom. poëtt. p. 124. Comparari tamen possunt formae, ut Μοῖρα, Μαῖρα, στεῖρα, δώτειρα etc. ut correptio in νύμφα pendere videtur a comparatione cum nominibus in θα (cognatae enim literae θ et φ), ut ἄκανθα, Ammiani ep. 17. ψαλάκανθα, Ptolem. ap. Conon. p. 67. quae terminatio rursus cohaeret cum iis in ζα, σα, ψα et ξα. Neque satis definitum adhuc, quantam in his rebus vim habeat dialecti discrepantia. Ita notabile est Μιτυλᾶνα (sic enim scribendum, non Μιτυλάνα), in Antip. Sid. ep. 60. A. B. II. 22. sed Πριήνη in eodem versu:

Πιττακὸν ἁ Μιτυλᾶνα· Βίαντα δὲ δῖα Πριήνη, —

Haec habui, VIR ILLUSTRIS, quae de eleganti hoc carmine TEcum aut communicarem, aut communicata repeterem.

In Id. IX. paucissima sunt, in quibus aliquid novandum existimem. Haerebam tamen TEcum nonnihil in v. 19.

ἐν πυρὶ δὲ δρυΐνῳ χορία ζεῖ, ἐν πυρὶ δ' αὖαι
φαγοὶ χειμαίνοντος.

cum non satis concinne jungi videretur: ἐν πυρὶ ζεῖ χορία, ἐν πυρὶ δέ, sive ζέουσι, sive εἰσίν, αὖαι φαγοί, nisi dicas, φηγοὺς hic non de lignis sumi, sed de glandibus aut nucibus hujus arboris, ut utrimque cibus, igne parandus, commemoretur. Debebat tamen non tam de cibis coquendis et torrendis, quam de *lignis super foco large reponendis* verba facere. Unde subnata mihi est conjectura:

ἐν πυρὶ δὲ δρυΐνος κορμὸς ζεῖ, ἐν πυρὶ δ' αὖαι
φαγοί —.

Mox cum omnino dubitaretur, an postremi hujus carminis versus recte adhaereant, male editores post v. 27. punctum in cornu posuerunt, quasi verba sequentia bucolicum contineant carmen, a Menalca decantatum concha, quam certaminis praemium reportave-

rat. Imo plenissime distinguendum; finit nimirum ille pastor, qui judex assedit, carmine, jam olim coram iis (*παρών*), qui nunc certaverant, decantato, v. 31. usque ad finem. Sic demum verba *τήνοισι παρὼν — νομεῦσι* v. 29. apta sunt, et fortasse in toto Idyllio nihil est superflui aut luxati. Versum 30. non intelligo, nisi legatur *φύσω*, cf. Id. XII. 24. et praeterea malim, ut sit ab initio:

μήτι δ' ἐπὶ γλώσσας ἄκρας ὀλοφυγδόνα φύσω.

vel: *μὴ δ' ἄρ' ἐπὶ γλ.*

In Id. X. scis, VIR ILLUSTRISSIME, me olim metro timuisse in voc. *ὀψαμάτα* v. 7. Verum forma vocabuli per se proba est: convenit enim cum *ὀψαρέτης* et *πρωτηρότης*, quod utrumque in uno Hesiodi versu, *ἔργ.* 460. ap. *Br.* invenitur. Neque metro timendum, modo versum recte legas, tribus prioribus in *ὀψαμάτα* productis, ultima vero hujus et prima sequentis vocabuli correptis. Cum enim derivetur ab *ἀμητήρ* vel *ἀμητής*, penultimam necessario longam habet; prima vero in *ἀμάω* et ejus derivatis anceps putatur, hic et v. 16. eodem jure producta, quo corripitur Id. XI. 73. Quod autem literam *α*, in hisce vocatt. modo productam, modo correptam attinet, res non videtur ad liquidum perduci posse.

Versu 11. suspectum mihi *μηδὲ ξυμβαίη*, ab *Harlesio* editum. An: *μή δ' ἔτι συμβαίη*, vel *μὴ δέ γε συμβαίη* —? Metri plane immemor, *Valkenarius* dedit *μηδέ γε ξυμβαίη*.

Versu 35.

σχῆμα δ' ἐγὼ καὶ καινὰς ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἀμύκλας,

si *σχῆμα* sanum est, epitheton *καινός* dupliciter intelligi debet: *ἔχων σχῆμα καινὸν, καὶ καινὰς ἀμύκλας.* Sed fortasse verbis, eodem modo junctis, legendum est: *εἶμα δ' ἐγώ* etc. Possis etiam de ejusmodi lectione cogitare:

σχῆμα δ' ἐγὼ καινός, καὶ ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἀμύκλας,

scil. *ἔχων ἀμύκλας.*

Qui proxime sequuntur, duo versus, 36. 37. quam obscuri et ambigui sint, patet, si *Wartoni* et *Reiskii* interpretationes inter sese comparantur:

Βομβύκα χαρίεσσ', οἱ μὲν πόδες ἀστράγαλοι τεῦς,
ἁ φωνὰ δὲ τρύχνα· τὸν μὰν τρόπον οὐκ ἔχω εἰπεῖν.

Et prior quidem versus, ut nunc est, in hac sede, nullum omnino mihi sensum admittere videtur. Quod enim *Wartonus* et alii e Graeco interprete elicere voluerunt, fidem non meretur. Fortasse versus sunt Milonis, qui supra post v. 18. legi debebant, ironice dicti de macilentis Bombycae pedibus et rauca voce: *Pedes tui ossa sunt, vox rauca; reliqua non novi.* Neque tamen commode ibi quatuor continui versus Miloni tribui possunt; an igitur Batti distichon, quod eos praecedebat, fortasse excidit? Si retinendi sunt hi versus, ubi nunc leguntur, laudem Bombycae continere debent. Iam intelligerem tale quid:

Βομβύκα, χαρίεσσα τὺ μὲν πόδας, ἀστραγάλος τε,
χἀ φωνὰ τρυφερά· τὸ δ' εὔτροπον οὐκ ἔχω εἰπῆν.

alterum versum nunc propterea tantum mutavi, ut ostenderem, quem sensum desiderarem. Ille fortasse intactus relinquendus. Et si τρύχνος vel στρύχνος fere idem est, ac τρυφερός, posset fortasse lenissima mutatione scribi:

Βομβύκα χαρίεσσ', οἱ μὲν ποδὸς ἀστράγαλοι τεῦς,
ἅ φωνά τε τρίχνοι. τὸν δ' αὖ τρόπον οὐκ ἔχω εἰπῆν.

„*tali quidem pedis tui et vox delicati; mores vero verbis non satis efferre* „*possum.*" — TU, VIR ILLUSTRIS, vide, quid ex his praestet, si quid omnino ejusmodi his tentaminibus inesse censes.

Pulcherrimum Id. XI. aliquibus naevis laborat, ut saepe mecum doluisti. Ita multae conjecturae prostant in v. 22.

φοιτῇς δ' αὖθ' οὕτως, ὅκκα γλυκὺς ὕπνος ἔχῃ με,

neque quidquam videntur profecisse, qui emendandi operam susceperunt. Etsi fortasse iis ego non felicior ero, novam tamen corri-

gendi viam monstrare conabor. In mentem venit, conjicere:

φοιτῇς δ' ἄνθ' αὔτως, ὅκκα γλυκὺς ὕπνος ἔχῃ με,

i. e. ἄντα, ut suppleas ἀντ' ἐμοῦ. *Spatiaris frustra coram me, quando dormio; sed discedis celeri fuga, quando expergisco.* Videntur tamen duo haec adverbia minus eleganter sic jungi. Quid? si uno adverbio legatur: αὐτομάτως, *sponte, vel non vocata*; aut αὐθαδέως, quia cum pertinacia id tantum facit, quod sibi ipsi placet, non quod rogatur. Optimum sensum praeberet:

φοιτῇς δ' αὐθωρεί, ὅκκα γλ.

i. e. αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, ὅτε ὕπν. ἔχ. μ. Sed propter v. sq. posset etiam de participio cogitari: φ. δ' ἀντιάοισ', ἀντιβολεῦσ', ἄγχι μολεῖσ', αὐτομολεῖσ', ὅκ. aut: φ. δὲ φθονέοισ' ὅκ. Adeo incerta sunt omnia. Versu seq. et ut hiatus tollatur, et ut numerus cum versu praecedenti magis concinat, legendum: ἰοισ', ὅκκα γλ. Mox v. 25. alius tollendus erat hiatus in verbis κόρα, τεῦ, ἀνίκα πρ. ubi τεῦ in thesi non debebat produci. Scribi poterat τεῦς, ἀν. Sed felicius una cum bucolico versu restituit verum *Toupius.* Alia res est v. 55. ubi τεῦ arsi defenditur.

In metro rursus peccatum v. 31.

οὕνεκά μοι λασία μὲν ὀφρὺς ἐπὶ παντὶ μετώπῳ —

nam ὀφρύς ultimam habet brevem, etsi in ed. *Harlesii* male circumflectitur. Atqui in his carminibus ejusmodi syllabae natura breves ne in arsi quidem productae occurrere solent. Alia res est, syllabam, natura longam, ut illud τεῦ, v. 55. aut τηνεί, v. 45. in arsi non corripi. Unum productionis genus, quod huc pertinet, nolim tentare, id quod et ipsum v. 45. occurrit:

ἐντὶ δάφναι τηνεί, ἐντὶ ῥαδιναὶ κυπάρισσοι,

ut in Id. XV. 128. ὁ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις. Ita enim ante literam ῥ vel Nonnus brevem vocalem in arsi produxit aliquoties. Cujus exemplum quanti sit faciendum in tali causa, TU minime ignoras, ILLUSTRIS OUVAROFF. Etsi vel sic fieri potuit, ut Theocritus Aeolicum βραδινάν daret, aut: ἐντ' αὖ ῥαδ. scriberet, ut altero loco

ὁ βροδόπαχυς Ἄδωνις. Eadem productio est in Anytae ep. 12. A. B. I. 199.

κεῖμαι δὲ ῥαδινὰν τάνδε παρ' ἠϊόνα,

sed vereor, ut ῥαδινὰν γένυ voluerit poëtria una cum delphino, qui loquitur. Simplicissimum foret ῥακίλαν τ. π. αἰόνα, vel:

κεῖμαι δὲ ῥαχίαν τάνδε παρ' ᾀονίαν.

aut denique:

κεῖμαι δ' ἐν ῥαχίᾳ, τάνδε παρ' αἰόνα.

Sed in Theocrito legendum, nisi fallor: ὀφρὺς περὶ παντὶ μετώπῳ, quae praepositio praeterea rem melius depingit, quam ἐπί. Ita περί pro ἐπί ex ed. Planud. reddere debebam Meleagro, ep. 117. v. 7. ματρὸς περὶ γούνασιν. Vide de crebro permutatis his duabus praepositionibus ad Gregor. Cor. ed. *Schaef.* p. 783. sq. Sed tam saepe peccatum est in mensura substantivorum in υς, ut ὀφρύς, cum in nominat. sing. tum in accus. in υν, ut non mirum, si critici passim has syllabas pro ambiguis habere coeperunt. Sunt tamen omnino breves. Apud Lucill. ep. 17. A. B. II. 320.

ῥῖνα, γένειον, ὀφρὺν, ὠτάρια, βλέφαρα,

natura ipsa postulat ὀφρῦς, i. e. ὀφρύας. In ead. pag. ep. 15. lege τὸν σταδιῆ, a σταδιεύς, cf. ep. 44. et ep. 14. fortasse Ἄππιον pro Ἆπιν. In ep. Alcaei Mess. 14. A. B. I. 489.

νηδὺν ἀνδρομέων πλησάμενος κρεάων,

transpone ἀνδρομέων νηδὺν πλ. In ejusdem Alcaei ep. 5. v. ult. vocabulum φόρμιγγα mutandum in φορβειάς: sermo est de tibicine. In Crinag. ep. 13. circumfertur:

ἡ νηδὺς οἴκων αἷμα φέρει μεγάλων.

Hic emendatio minus est in promptu. Cogitabam: ἡ νηδὺς θώκων α. φ. μεγάλων, de regio throno; certe αἷμα θώκων non multo deterius, quam οἴκων. Languorem structurae erigeret: νηδὺς, ἴδ', ἤδ' οἴκων. — Sed praestat tentare:

ἡ νηδὺς τοκέων αἷμα φέρει μεγάλων.

In ejusdem Crinagorae ep. 1. legendum suspicor:

καὶ κλαῖε, καὶ στέναζε σ υ σ φ ί γ κ τ ο ι ν χεροῖν
τένοντας, ὦ 'πίβουλε.

Denique in fr. Solonis XIV. 8. Gnom. *Br.* p. 78.

ἰσχὺν, οἵ τ' ἄνδρες σήματ' ἔχουσ' ἀρετῆς.

fortasse legendum: τ ο ί τ' ἄνδρ.

Sed revertor ad Idyllium nostrum, in cujus v. 33. malim: εἷς δ' ὀφθαλμὸς ὕ π εστι, neque enim supplendum est ἐπὶ μετώπῳ, sed ὑπ' ὀφρύϊ; et cum sequatur in fine versus: ἐπὶ χείλει, apte sic oratio variari potuit.

Versu 41. verba πάσας μαννοφόρως tutius esset, non attingere; adeo hic lubrica est crisis. Vulgatum ἀμνοφόρως cum *Casaubono* omnino damnandum puto. In mentem venit ἁ ρ μ ο φ ό ρ ω ς, *ad currum ducendum aptas*, ut illa, velut altera Diana, iis vehatur. Dici ita potuit pro ἁρματοφόρους, ut est ἁρμηλατεῖν. Similia sunt μελίχροος et μελιτόχροος, σημόθετος, alia. Et si eodem modo σ α μ ο φ ό ρ ω ς velles, alludi dicerem lepide ad equos σαμφόρας. Aliquando tentabam adeo: μ α μ μ ο τ ρ ό φ ω ς, ut μαμμόθρεπτος datur, de hinnulis humana cura enutritis.

In Idyll. XII. v. 4. TU facile probabas *Brunckium*, lectionem vulgatam: ὄϊς, σφετέρης λασιωτέρη ἀρνός, contra *Hemsterhusium* tuentem. Facio TEcum, VIR ILLUSTRIS. Certe, si quid mutandum, potius τ ρ υ φ ε ρ ῆ ς, quam φιαρῆς scribendum erat.

Sequitur v. 10. sqq. locus, qui, recte intellectus, venustissimis adnumerandus est, ut totum hoc Idyllium multis luminibus splendet; sed vulgo ita hi versus circumferuntur, ut longe ineptissimi videantur. Vide modo, ILLUSTRIS OUVAROFF:

εἴθ' ὁμαλοὶ πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ἔρωτες
νῶϊν, ἐπεσσομένοις δὲ γενοίμεθα πᾶσιν ἀοιδή.
Δοιώ δή τινε τώδε μετ' ἀμφοτέροισι γενέσθην

φῶθ'· ὃ μὲν ἦν εἴσπνηλος, φαίη χ' ὡ 'μυκλαΐζων·
τὸν δ' ἕτερον πάλιν, ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι ἀΐταν.
ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ. ἦ ῥα τότ' ἦσαν
χρύσειοι πάλαι ἄνδρες, ὅκ' ἀντεφίλησ' ὁ φιληθείς.
εἰ γὰρ τοῦτο, πάτερ Κρονίδη, πέλοι, — —

Hic plane non cohaerent illi duo versus cum duobus rarioribus, e Laconum et Thessalorum sermone repetitis vocabulis. Putes, grammaticum infimae aetatis suam nobis sapientiam propinare voluisse; inprimis cum v. 13. pessimos numeros habeat, versus seq. non multo melius procedat, et vocabulum φῶτε sic parum poëticum videatur. Neque coëunt versus 15. et 16. et quo versus 17. spectet, rursus ignoratur. Atqui distinguendum et scribendum erat in hunc modum:

εἶθ' ὁμαλοὶ πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ἔρωτες
νῶϊν, ἐπεσσομένοις δὲ γενοίμεθα πᾶσιν ἀοιδή·
„Δοιὼ δή τινε τώδε μετ' ἀμφοτέροισι γενέσθην
„φῶθ'· ὁ μὲν εἴσπνηλος" — φαίη χ' ὡ 'μυκλαΐζων,
τὸν δ' ἕ τ ε ρ ο ς πάλιν, ὥς κεν Θεσσαλὸς, εἴποι ἀΐταν· —
„ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ. ἦ ῥά ποτ' ἦσαν
„χρύσεοι οἱ πάλαι ἄνδρες, ὅκ' ἀντεφίλησ' ὁ φιληθείς."
εἰ γὰρ τοῦτο, πάτερ Κρονίδη, πέλοι, —

Vides, inde a v. 12. usque ad v. 16. sequi splendidam illam apud posteros cantilenam, qua se et amores suos in perpetuam memoriam poëta tenerrimo mentis affectu celebratum iri v. 11. sperat et optat. Similem nuntium sibi post multa secula e vivis in Orcum apportari precatur mox, vv. 20. 21. quos versus recte *Harlesius* distinxit. Ut igitur post Ἀχέροντα, v. 19. punctum in cornu ponendum, ita eadem distinctione opus erat v. 11. post ἀοιδή. Iam vero egregie sese habent illae Laconum et Thessalorum inter posteros vernaculae voces. Non enim inter paucos forte popularium tantum suorum hanc sibi famam fore, poëta ponit; sed audit se animo praesagiente diversis diversarum gentium linguis celebrari, fama de se

et amoribus suis tantum non ad omnes mortales perlata. Qua quidem imagine nulla unquam splendidior cogitari potuit. Versu 12. etsi per se elegans est *Jacobsii* conjectura: δ. δ. τιν' ἐρῶντε, praef. ad Bion. e. M. p. XX. nihil mutandum puto, partim propter majorem, quae in vulgata est, simplicitatem, quae veluti confabulantium ipsissimos sermones reddit, partim propter apertam Homeri imitationem, Odyss. IV. 26. ubi, ut hic, cum verbis: ξείνω δή τινε τώδε — ἄνδρε δύο oratio alius incipit. Sed multo magis convenit egregius Electrae sermo ap. Soph. El. 970. ed. Erf. quem non possum non totum describere:

τίς γάρ ποτ' ἀστῶν ἢ ξένων ἡμᾶς ἰδὼν
τοιοῖσδ' ἐπαίνοις οὐχὶ δεξιώσεται·
„Ἴδεσθε τώδε τὼ κασιγνήτω, φίλοι,
„ὣ τὸν πατρῷον οἶκον ἐξεσωσάτην,
„ὣ τοῖσιν ἐχθροῖς εὖ βεβηκόσιν ποτέ,
„ψυχῆς ἀφειδήσαντε, προυστήτην φόνου.
„τούτω φιλεῖν χρή, τώδε χρὴ πάντας σέβειν·
„τώδ' ἔν θ' ἑορταῖς, ἔν τε πανδήμῳ πόλει
„τιμᾷν ἅπαντας, οὕνεκ' ἀνδρείας, χρεών."
τοιαῦτά τοι νὼ πᾶς τις ἐξερεῖ βροτῶν,
ζώσαιν θανούσαιν θ' ὥστε μὴ 'κλιπεῖν κλέος.

Nonne gratum TIBI feci, mi ILLUSTRIS OUVAROFF, quod hanc TUAM TIBI Electram in medium produxi? Iam vide: ut illa inter cives et peregrinos bonam sibi fore famam animo praesagit; ita noster Thessalos et Lacones de se locuturos praevidet. Habes et hic illud τώδε, cui apud nostrum apte praecedit τινέ. Quod attinet nomina tempore obscurata, sunt incerti, nescio, qui? τινέ, sed virtutis splendida memoria clari atque distincti, hi duo, τώδε, inter omnes mortales eminent! — Versu 13. ut numerus versui esset, jam alii verbum ἦν recte ejecerunt. Syllaba media in ἀμυκλαΐζων, si vel natura brevis sit, hic tamen jure producitur, ut productis duabus proximis: qua de re et alibi quaedam dedimus, et propediem plura

daturi sumus. Inprimis vero notandum erat, verba: φαίη — εἴποι ἀΐταν per parenthesin futuris istis sermonibus interponi ab eo, qui haec fingit. Versu 14. ἕτερος, Codicis, ut videtur, lectio, a *Salmasio* prolata, optime convenit, modo articulum ante Θεσσαλός sustuleris. Iam ὥς κεν Θεσσαλός, ut centies ὡς ἄν, est, *utpote Thessalus*, vel ut totum vertam: *Duo quidam erant: alter erat* εἴσπνηλος, — *dicet Lacon, alterum alius, ut Thessalus,* ἀΐταν *vocabit,* — *et se amabant* etc. Si literam perire nolis, nescio, an satis Graecum sit: ὥς κέ γε Θεσσαλός. Si concinnitas spectanda, propter quam *Hemsterhusius* ἀΐτας videtur voluisse, in promptu est:

„φῶθ'· ὁ μὲν εἴσπνηλος" — φαίη χ' ὡ 'μυκλαΐζων, —
„τοῖν δ' ἕτερος πάλιν" — ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι, — „ἀΐτας.
„ἀλλήλ. δ.

Sed ejusmodi concinnitatem inferre, nimium est; et locus ea simplicitate, qua illum supra dedimus, multo magis placet. Sed si negas, ἕτερος scribendum fuisse, aut articulum ante Θεσσαλός ejiciendum, proponi potest hoc:

φαίη χ' ὡ 'μυκλαΐζων,
τὸν δ' ἕτερον παλίνορσος ὁ Θεσσαλὸς εἴποι ἀΐταν —

Iam παλ. ὁ Θ. esset adstans Thessalus, qui Laconis verba vernaculo sermone interpellat. Caeterum παλίνορσος a Nonno frequentatur, ut, quod v. 11. erat, ἐπεσσόμενος. Versum 15. cum seq. dedi ex emendatione *Wassenbergii*; sed τότε v. 15. etiam retineri posset:

ἦ ῥα τότ' ἦσαν
χρύσεοι οἱ πάλαι ἄνδρες, ὅτ' ἀντεφίλησ' ὁ φιληθείς —

tum, quo tempore nobile hoc amicorum par vixit, *tum aurea illa antiqua aetas erat*, etc. neque contemnendum, si e Codd. pro πάλαι rescriberetur:

ἦ ῥα τότ' ἦσαν
χρύσειοι πάλιν ἄνδρες, — —

cum illi viverent, et sese amarent, denuo aurea aetas initium cepit.

Versu 17. redit rursus ad se, sua vota, suas spes poëtae nostri animus, ut mox vv. 20. 21. se denuo a phantasia abripi patiatur. Cohaeret itaque illud εἰ γάρ cum εἴθε v. 10. Leve est, quod in fine versus ἀγήρῳ cum ι subscripto scribendum videtur.

Quod editur v. 22.

ἀλλ' ἤ τοι τούτων μὲν ὑπέρτεροι οὐρανίωνες
ἔσσονθ' ὡς ἐθέλουσι·

prosaicum est: ὑπέρτεροι ἔσονται, ὡς ἐθέλουσιν. Lectio Cod. Laurent. ἔσσοινθ' eo ducit, ut corrigam:

ἀλλ' ἤτοι τούτων μὲν ὑπέρτεροι οὐρανίωνες·
ἔσσοιθ', ὡς ἐθέλουσιν·

Ita ἥσσονες ἄλλοι sine verbo est in Id. XXIV. 79. Posses etiam: ἔσται δ' ὡς ἐθέλωσιν, aut, si de Dorica dialecto satis constaret ἐσσεῖθ', ὡς ἐθ. In fine versus si αἰνέων scribitur, debet etiam v. 32. χείλεσι χείλεα, ut alia bene multa, scribi. Versu 24. malim:

ψεύδεα ῥινὸς ὕπερθεν ἀραιῆς οὐ κ' ἀναφύσω.

Negatio cum part. ἄν et aorist. conj. molliorem et aptiorem hic sensum suppeditat, quam nudum futurum, etsi non toto coelo discrepat. Versu denique ultimo, vide, an mecum legere malis:

— χρυσὸν ὁποίῃ
πεύθοντ', εἰ μὴ φαῦλος, ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί.

Doricum αἰ pro εἰ, ut multa dorica in toto carmine dispersa, confusionis causa videtur fuisse. Quod vulgo editur, ineptum est, et male sonat. Caeterum venustissima haec de Diocle narratio, etsi per se absolutissimum quoddam et pulcherrimum εἰδύλλιον efficit, ita tamen eleganter hic subnectitur, ut de genuina ejus origine atque sede dubitare non liceat.

Transeo ad Id. XIII. in cujus v. 11. erravit procul dubio *Valkenarius*, cum dedit:

7 "

οὐδ᾽ ὄκα ἁ λεύκιππος ἀνατρέχει ἐς Διὸς Ἀώς,

praeterea, ἐκ Διός praeferens. Primum hiatus displicet, deinde parum aptus est indicativus inter duos optativos, denique ἐκ Διός propter *Heinsii* certe rationes probandum non erat. Etenim ἀνατρέχειν ἐς Διός non est, ut *Heinsius* putavit, *redire* in domum Jovis, sed *oriri et ascendere per coelum*. Sed concinnitas postulat:

οὐδ᾽ ὁπόχ᾽ ἁ λεύκιππος ἀνατρέχοι ἐς Διὸς Ἀώς,
οὐδ᾽ ὁπόχ᾽ ὀρτάλιχοι — —

Ad duplex ὁπόκα quod attinet, vid. ad Id. XI. 22. sq. Optativus cum hac conjunctione latius patet, quam indicativus: *quotiescunque* surgeret Aurora. Recte tamen indicativum habes infra vv. 61. 63. Similiter in Theogn. v. 967. ap. *Br.* legendum puto: πῖν᾽ ὁπόταν πίνωσιν, non πῖνε, ὅταν π. Diversus est hiatus, qui sequitur, v. 971. In eod. Theogn. v. 489. sq. male ὅταν construitur:

Ἄφρονος ἀνδρὸς ὁμῶς καὶ σώφρονος οἶνος, ὅταν δὴ
πίνεθ᾽ ὑπὲρ τὸ μέτρον, κοῦφον ἔθηκε νόον.

quod non ex Homero excusandum, sed corrigendum: ὅτῳ δὴ πίνεται, aut artificiosiori structura: ὅτου δ. π. In ead. p. v. 470. lege:

οὔτε τι γὰρ νήφω, κ᾽ οὔ τι λίην μεθύω.

Non ita facili negotio restituendus est Theocrito locus, qui proxime sequitur v. 14. sq.

ὡς αὐτῷ κατὰ θυμὸν ὁ παῖς πεπονημένος εἴη,
αὐτῷ δ᾽ εὖ ἕλκων ἐς ἀλαθινὸν ἄνδρ᾽ ἀποβαίη.

De participio ἕλκων, sic elliptice posito, magnopere dubito. Ineptissime *Vossius* p. 117.

und unverwandt hinfurchend, zum redlichen Manne gediehe.

Locus Aristoph. Pac. 474. quo ad ejusmodi sensum efficiendum provocat *Toupius*, longe aliter comparatus est. Ferrem hanc interpre-

tationem paulo lubentius, si saltem daretur: τ' α ὐ τ ὸ ν δ' εὖ ἕλκων, sc. ζυγόν. *Heinsii* εὖ ἥ κ ω ν graecum quidem est, at non poëticum; neque videtur id esse, quod in hunc modum corrumpi potuerit. Tertium, quod afferunt, εὖ εἴκων, justo languidius dicitur. Si dialectus pateretur, planissimum esset: αὐτῷ δ' εὖ ε ἰ κ ώ ς, ε. Nunc conjecerim: αὐτᾷ δ' εὖ ἀ λ κ ῶ ν, i. e. ἀλκέων, ut fere Phoenix ap. Hom. Il. IX. 490. — — ἀλλά σε παῖδα

ποιεύμην, ἵνα μοί ποτ' ἀεικέα λοιγὸν ἀμύνῃς,

vel: αὐτῷ δ', εὖ θ ά λ λ ω ν, ἐς ἀλ. vel eodem fere sensu: α. δ', ε ὐ ε κ τ ῶ ς, cf. de hac forma *Schaef.* ad Greg. Cor. p. 922. Magis a vulgata recederet, sed in epigrammatariis certe poëtis elegans videri posset:

α ὐ τ ῷ δ' ο ἷ' ε ἰ κ ώ ν, ἐς ἀλ. α. α.

tamquam sui ipsius imago, etc. cf. Meleag. ep. 12.

Versu 24. intolerabilis est hiatus in verbis:

αἰετὸς ὥς, μέγα λαῖτμα, ἀφ' οὗ τόδε χοιράδες ἔσταν.

facile tollendus in hunc modum: λαῖτμ', ἀ π ὸ τ ο ῦ τ. χ. ἑ. vel ἐξ οὗ, ut dialectum intactam relinquam. Si *Reiskii* vestigiis incedendum, conjicerem: αἰετὸς ὥς, μεγάλ α υ χ ο ς, sc. Ἀργώ, ναῦς.

Versu 46.

ἦτοι ὁ κοῦρος ἐπεῖχε ποτῷ πολυχανδέα κρωσσόν,

Malim π ο τ ῷ πολυχ. κρ. Sic ex antecedd. supplendus est dativus, ὕδατι, aut adeo Νύμφαις. Rectius enim urna ποτᾷ πολυχανδής, quam totus ipse fons ποτόν appellabitur. Aliud est, cum in Tim. Luciani, sub fin. legitur: ποτὸν δὲ ἡ ἐννεάκρουνος.

Restat difficillimus hujus carminis locus, v. 68. sqq.

ναῦς ἔμεν' ἅρμεν' ἔχοισα μετάρσια· τῶν παρεόντων
ἱστία δ' ἤϊθεοι μεσονύκτιον ἐξεκάθαιρον,
Ἡρακλῆα μένοντες. —

in quo non nulla deesse, parum abest, quin *Reiskio* credam. Si nihil deest, verba τῶν παρεόντων certe non ad seqq. trahi debebant, ut id positio part. δέ v. 69. monstrat; sed distinguendum erat ante ἱστία. Sed quid rei est: ἅρμενα μετάρσια τῶν παρεόντων, *instrumenta, quae a praesentibus pendent?* Per se tantum ἅρμενα μετάρσια, *instrumenta suspensa* non inepte de antennis et velis ipsis intelligas. Alia difficultas est in verbo ἐξεκάθαιρον; equidem certe non video, quid purgandum sit in velis, idque eo demum momento, quo jam omnes ad solvendam navem festinant, media nocte, si vel maxime μεσονύκτιον contorte ad Ἡρακλῆα retuleris. Res non emendatur, si cum *Reiskio* ἴκρια, aut cum *Toupio* οὖρον purgari dicis. Alibi in simili causa expectassem: ἐξετάνυσαν, vel ἐξεπέτασσαν, et quae sunt hujusmodi de velis expandendis verba. An extitit verbum nauticum, a nomine κεραία, *antenna*, derivatum, ἐκκεραιάω, vel ἐκκεραιόω, *ex antennis vela suspendo*, quasi *exantenno* dicas, ut ἐξεκεραίων legi posset? Hoc si constaret, optimum foret. Verbum ἐκκαθαίρειν si retinendum, id, quantum video, unice de re sacra intelligi poterit, ut fortasse velorum quaedam *lustratio* ante ipsum discessum e portu locum habuerit. Cujusmodi ritus an probari possit, equidem ignoro. Sed in loco desperato, vide, VIR ILLUSTRIS, an nobis audacioribus esse liceat:

> ναῦς δ' ἔμεν', ἅρμεν' ἔχοισα, μεταρσία, οὐ παρεόντος·
> ἱστὸν δ' ἤϊθεοι μεσσόδμιου ἐξεπάειραν,
> Ἡρακλῆα μένοντες.

„Navis expectabat exstructa, in alto stationem habens, ipso adhuc absente; malum juvenes de fundamento suo erigebant, etiam nunc Herculem expectantes.“ Vocab. μεταρσία de nave eo sensu dictum puto, quo in re nautica μετέωρος, μετεωρίζειν, ὑπεραιωρεῖσθαι, ἀνακωχεύειν, σαλεύειν et ἀποσαλεύειν, all. frequentantur. Verba: οὐ παρεόντος, de Hercule, nullam difficultatem haberent, nisi quod mirum est, ea corrumpi potuisse. In versu seq. quod quaesivi, id notum est vel ex Hom. Od. II. 424. sq. XV. 289. sq. et convenit nautis, omni modo abitum parantibus. Fateor tamen, me in uno vo-

cabulo duo audacter novasse. Nam notum quidem μεσόδμη, non vero id, quod dedi. Atqui geminatio literae sibilantis aliis exemplis satis, puto, stabiliri poterit, ut μέσσαυλος, μέσσαβον, μεσσοπύλη etc. Certe multo minus probarem, inutili fulcro interposito, tentari: ἠΐθεοί γε μεσσόδμ. Scio tamen, quantum vel in his geminationibus usus valeat. Difficilius adeo fuerit, defendere formam diminutivi μεσσόδμιον, cum δόμιον non videatur occurrere. Neque tamen vel sic omnis analogia deest. Scripsissem μεσσόδμης, nisi illud et a vulgata magis recederet, et numerum Bucolicum turbaret *). Erratum circa hoc vocab. in Nonni Dionys. XXXVI. 407.

βαθυνομένην τε μεσόδμην
μεσσοφανῆ μέσον ἱστὸν Ἄραψ ὠρθώσατο τίκτων.

Scribe: βαθυνομένη δὲ μεσόδμη, et fortasse: μέγαν ἱστόν. Paulo ante v. 405. lege: περὶ σταμίνεσσιν, ut recte habet XL. 446. 452. ex Odyss. V. 252. Emenda in ead. pag. lib. XXXVI. 401. Λυαίῳ, et p. praeced. v. 351. ἀνικήτῳ, v. sq. Διονύσῳ, mox v. 362. ἐπισκιρτῶντα, v. 377. ἑλίσσετε, et v. 381. τὰ δὲ δάκρυον ἔπλετο φωνή. Circa verb. ἀείρειν et ejus composita, erratum, nisi fallor, in Phocyl. v. 132. ed. *Br.* editur:

κτῆνος δ' ἢν ἐχθροῖο πέσῃ καθ' ὁδὸν, συνέγειρον.

imo συνάειρον, nam ad alterum auxilio non opus est. In Theogn. v. 954. cum scribitur:

οὔτε Διονύσου δῶρ' ἐσαειράμενος.

---

*) His jam impressis, in mentem venit simplicior loci emendandi ratio haec:

ναῦς δ' ἔμεν, ἅρμεν' ἔχοισα μετάρσια τῶν καλεόντων,
ἱστία δ' ἠΐθεοι μεσονύκτιον ἐξεπέτασαν, —

Ut ἱστός et in re navali et in arte textoria dicitur, ita probabile est, etiam voc. κελέοντες vel καλέοντες, i. e. ἱστόποδες, utrimque dici, imprimis cum πούς in velis notissimum sit. Sed propter id ipsum, et quia, uti πούς, ita et ποδεών usurpatur, possis etiam: ἅρμενα μετάρσια τῶν ποδεώνων eadem facilitate legere. Ita in hoc loco nihil desideraretur. De voc. κελέοντες s. καλέοντες vid. *Heinrichii* Observatt. p. 77. sq. ad Theocr. Id. XVIII. 34.

legend. ἔτ' ἀερ. In eodem epigram. v. 951. legend. κάλυψεν, et v. seq. κατέβη.

In Id. XIV. egregie mimico, non potest sanus esse v. 4.

ταῦτ' ἄρα λεπτός,
χὠ μύσταξ πολὺς οὗτος ἄρ', αὐαλέοι δὲ κίκιννοι.

Nihili est illud ἄρ', aeque ac ἄν, ab aliis receptum. Si αὐαλέοι sanum est, speciosum fortasse:

ταῦτ' ἄρα λεπτός,
χὠ μύσταξ πολὺς οὗτος, ἄγ', αὐαλέοι τε κίκιννοι;

ubi ἄγε, ut φέρε, in interrogatione fere idem est, ac λέγε; vel οὗτος, ἴδ', aut οὗτος ὅδ'; etsi malim, ut versus talem in modum coëat:

χὠ μύσταξ πολὺς οὗτος ἅμ' αὐαλέοισι κικίννοις;

Semper vero interrogationem necessariam puto. Versus 7. quam amarulenter dicatur, magis apparebit, si in hunc modum mecum distinxeris:

ἤρατο μὰν καὶ τῆνος, ἐμὶν δοκεῖ, — — ὀπτῶ ἀλεύρω.

Quod v. seq. est: παίσδεις, ὦ 'γαθ', ἔχων, noto participii usu, mire convenit cum Germanico: *du hast gut spotten.* Versus 11. cum *Valkenario*, non cum *Harlesio* distinguendus. Versu 17. editur:

βολβός τις κοχλίας ἐξηρέθη· ἧς πότος ἀδύς.

Etsi fateor, me in re cibaria veterum parum versatum esse, tamen videor mihi intelligere, non facile concoqui posse *bulbum e cochlea promendum*, ut haec vertere solent. Neque vero satisfaciunt tentamina VV. DD. βολβὸς καὶ κοχλίας ἐξηρέθη, aut, quod metrum trucidat, βολβός τε κοχλίαι τ' ἐξήρεθεν, quia vel sic verbum ἐξηρ. non omni offensione caret. TU, VIR ILLUSTRIS, probabas, quod tentabam:

βολβός τ' ἧς, κοχλίας τ', ἐξαίρετοι, ἧς πότος ἀδύς.

uterque cibus erat *selectus*, *eximius*. Certe vulgatum τίς vere mihi videor emendasse.

Locum difficilem, qui a v. 21. sequitur, velim, ut in hunc modum mecum scribas et distinguas:

ἁ δ' οὐδὲν παρεόντος ἐμεῦ. — "τίν' ἔχεν με δοκεῖς νοῦν;
οὐ φθεγξῇ;" ΛΥΚΟΝ ΕΙΔΕΝ, ἔπαιξέ τις. „ὡς σόφος!" εἶπεν,
χἄφθη, κ' εὐμαρέως κεν ἀπ' αὐτᾶς καὶ λύχνον ἅψαις. —
ἐντὶ Λύκος, Λύκος ἐντὶ, Λάβα τῶ γείτονος υἱός,
εὐμάκης, ἁπ.

Primam interrogationem: τίν' ἔχεν με δοκεῖς νοῦν; omnes, nisi fallor, ab Aeschine ad Thyonichum dirigi existimant. Speciose, ut primo intuitu videtur. At sic pro infinitivo praesentis, ἔχεν, requirebatur praeteritum tempus. Narrat enim de re praeterita ita, ut nesciam, an de praesenti historico apte hic cogitari possit. Alteram interrogationem: οὐ φθεγξῇ; non sine auctoritate quadam, cf. *Toupium*, ad incertum illum auctorem referri video, quem mox λύκον εἶδες ad puellam dixisse putant. Hoc cogitari posse, non nego. Mirum tamen, si amator neglectus ipse ne verbum quidem dixit, infra satis verbosus, cf. v. 36. sqq. Itaque equidem duabus illis interrogationibus puellam ab Aeschine ipso petitam esse existimo: quibus mox scurram pro responso suum: λύκον εἶδεν, interposuisse. Quod autem, littera mutata, dedi εἶδεν, id feci, ut personae, a librario facile confundendae, naturae convenienter distinguerentur. Respondet ille ignotus Aeschini, cur puella non loquatur. Si εἶδες relinquendum erat, debebat id saltem in interrogatione fieri. Cur autem poeta non ex proverbiali illa superstitione dederit: λύκος εἶδέ ἑ, παῖξέ τις, aut meliori caesura: λύκος εἶδεν, ἔπ. τ. id interpres graecus satis mihi videtur exposuisse. Verba: ὡς σόφος εἶπεν, nisi ejusmodi interpositam alius exclamationem continent, vel post longam *Heinsii* declamationem languidissime mihi cum antecedd. jungi videntur. Sed apte interpres Gr. illud ὡς σόφος! a puella, joco isto exasperata, cum amara irrisione in importunum illum scurram con-

verti existimat. Sanum autem sine dubio χᾶφθη, cf. Id. II. 25. vel χῆφθη, partim propter auctoritatem Scholiastae, partim quia κῆφατο, quod proxime inesse posset, propter antecedens εἶπεν, jam de puella, ut vidimus, dictum, ineptam tautologiam contineret. Accedit, elegans illud dictum: εὐμαρέως κεν λύχνον ἀπ' αὐτᾶς ἅψαις, non commode dici potuisse, nisi praecedebat tale quid, ut ἐρυθρία, aut magis poëtice, ἐρυθαίνετο, ἐφλέγετο, ἧφθη. Sed importuna fuisset productio ante vocalem in thesi, nisi copulam ante εὐμαρέως supplevissemus, qua et sensus magis erigitur. De Reiskiano commento non attinet loqui. Denique v. 24. verba ἐντὶ Λύκος, Λ. ἐ. minime a Cynisca dicuntur, ut mire opinatus est *Valkenarius*; sed Aeschines ipse in ea erumpit, colligens ex iis, quae acta sunt, et concludens, qualis lupus amores suos laceraverit. Cf. v. 31. sqq. — Saltem hoc mihi, puto, dabis, VIR ILLUSTRISSIME, loco ita distincto, mimicam hujus carminis et dramaticam virtutem in clariori luce collocari.

Versu 26. erat, cum offenderem ad τὸν κλύμενον τῆνον ἔρωτα, tentans:

τούτω, τὸν κλύομεν, κατετάκετο τῆνον ἔρωτα,

vel: τούτω τοι, κλύομεν, κατ. τ. ἐρ. Sed his parum tribuendum. Etsi enim participium hoc rarissimum nunc est, pristinum tamen ejus usum nomina propria Κλύμενος, et Κλυμένη, frequentissima, Plutonis cognomen, et κλύμενος vel κλύμενον, herbae denominatio, satis videntur demonstrare. Sed versu sequenti reponendum omnino: ἄσυχον αὔτως. Verba: μάταν εἰς ἄνδρα γενειῶν, et πόσιος ἐν βάθει ἧμες v. 28. sq. mire respondent Germanismis: *wir waren schon tief ins Trinken hineingekommen, hatten tief ins Glas gegukt*; et: *mir war umsonst der Bart gewachsen, ich war schon so ein alter Kerl, und doch noch nicht klug.*

Versu 30. distinguendum sine ulla mutatione:

χὠ Λαρισσαῖος „τὸν ἐμὸν Λύκον" ᾆδεν ἀπ' ἀρχῆς,
Θεσσαλικόν τι μέλισμα, κακαὶ φρένες.

Sed errant *Harlesius* et *Brunckius*, cum putant, etiam verba κακαὶ φρένες esse partem Thessalicae cantilenae. Initium alius carminis hic quaeri tum demum posset, si Θεσσαλικόν τε μίλ. praecederet. Sed κακαὶ φρένες jungendum per appositionem cum nomine Λαρισσαῖος, quasi dicas, Λαρισσαῖος, ὁ κακόφρων, *der Bosbafte.* Sed τὸν ἐμὸν Λύκον pro initio aut nota carminis cujusdam habeo; atque sic Θεσσαλικόν τι μέλισμα aptissimum. Si ex tempore Larissaeus ille Lycum, Labae filium, cecinisset, neque hic de noto et usitato carmine sermo esset, sensum haberet, quod voluit *Heinsius*, Θ. τ. σέφισμα, quamquam propterea nondum recipiendum. Sed μέλιγμα, obscuro sensu, cur *Brunckius* et *Valkenarius* maluerint, quam μέλισμα, id plane non intelligo. — Mox scribitur v. 31.

ἁ δὲ Κυνίσκα
ἔκλαεν ἐξαπίνας θαλερώτερον, —

ubi inquirendum, an recte ἔκλαεν, idque media brevi, se tueatur. Notum est Atticorum κάειν, κλάειν, α producto, unde et ι a multis subscribitur, cf. *Hemsterh.* ad Aristoph. Plut. v. 612. *Koen.* ad Gr. Cor. p. 75. ed. *Schaef.* Jam a Doriensibus quoque ι omitti in similibus, invenisse sibi videbatur Gregorius Cor. dial. Att. §. 30. p. 75. ubi ἑτάρα e Sapphone, fr. 199. *Wolf.* affertur. Sed in ἕταρος omnes mediam corripiunt. An igitur contra Atticum morem id etiam in κλάω fecerunt Dorienses et Aeolenses? Vocalem enim longam ante vocalem corripi, hic non magis credam, quam supra in πρώαν, Id. IV. 60. et V. 4. Ita in Tyrtaeo, el. I. 19. sq. malim:

τοὺς δὲ παλαιοτέρους, ὧν οὐκ ἔτι γούνατ' ἐλαφρά,
μὴ καταλείποντες φεύγετε, τοὺς γεραρούς.

ubi γεραιούς vulgo est. Sed fortasse, ut infra, Id. XXIII. 17. sine varietate editur ἔκλαιεν, ita hic quoque vulgaris forma restituenda est in hunc modum: ἔκλαι' ἐξαπίνας θ. etsi aliquid duri inesse, sentire mihi videor. Litem componat *Hermannus* noster!

V. 38. malim *Musgravii* μάχλα, quam *Jacobsii* μάχλε, Praef. ad B. et M. p. XXIV. hac una de causa, quia una litera fa-

cilius est. Sed hoc sine dubio verum vocabulum. Frustra sunt, qui μᾶλα defendunt. Versu sequenti necessarium est particip. δοῖσα, quod felicissime restituit *Medenbach Wacker*. Oratio saepe est ἀσύνδετος, ubi simile affertur; et ut hic copula deest, ita mox v. 41, concinne rursus omissa est. Qui vulgatum δ' οἷα defendunt, debebunt saltem μάστακι scribere, ut μάστακι βίον ἀγείρειν jungi possit. Sed sic neque positio vocabuli satis apta, neque ἄψορρον sine participio illo vim habet. In Homero, Il. IX. 323. sq. unde noster profecit:

ὡς δ' ὄρνις ἀπτῆσι νεοσσοῖσι προφέρῃσιν
μάστακ', ἐπεί κε λάβῃσι, κακῶς δ' ἄρα οἱ πέλει αὐτῇ·

accusat. μάστακα de *rostro*, quod, cibo repletum, pullis mater offert, postquam aliquid cepit, intelligo: quae verba planissima essent, si λάβη τι scribere liceret.

In proverbio, v. 43. ἔβα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν, offendit me part. καί, etsi in ejusmodi locutionibus talia interdum e primitiva origine obscurius adhaerent. An scribendum: ἔβα τάχα ταῦρος ἀν' ὕλ. vel ἔβα κεν τ. ἀ. ὕλ. quod e libris afferri video: *Es lief* wohl *ein Ochs in den Wald, und kam nicht heim?* — Versu 44. sqq. editur vulgo:

εἴκατι ταὶδ', ὀκτὼ ταὶδ', ἐννέα ταίδε, δέκ' ἄλλαι,
σάμερον ἐνδέκατος, ποτίθει δύο, καὶ δύο μῆνες,
ἐξ ὧ ἀπ' ἀλλάλων· οὐδὲ Θρᾳκιστὶ κέκαρμαι.

Ita supplendum erit: καὶ δύο μῆνες ἔσονται. Sed primum illud ἔσονται sensum facit languidiorem, quam qui huic loco conveniat; deinde sic illud καὶ δύο cum praecedenti δύο male videtur confundi. Vide igitur, an praestet, mecum legere:

σάμερον ἐνδέκατος, ποτίθει δύο, — — καὶ, δύο μῆνες,

Iam etsi pluribus modis locus intelligi potest, verum tamen puto hunc sensum: Numerat dies, inde ab illo dissidio praeterlapsos, primum ponens viginti dies, deinde, aliis octo positis, ascendens usque ad duodecimum. Nam ad illud ποτίθει δύο supplendum πρὸς τοὺς δέκα ἡλίους, relate ad antecedens ἐνδέκατος. Habet tamen illud

ποτίθει ipsum aliam difficultatem, cum contra usum pro ποτίθες inveniatur; etsi hoc reponere nolim, quia in talibus librarios peccasse, parum videtur probabile. Sed nisi hic aoristi imperativus defendendus est analogia praesentis τίθει, ποτιτίθει, aut Homerico πρoθέουσι loco προτιθεῖσιν, Il. I. 291. malim legere:

σάμερον ἐνδέκατος, προτίθει δύο, — —

praepone duo, scilicet, numero denario, ut δώδεκατος efficiatur, quemadmodum in ἐνδέκατος unitatis notam praefixam videmus. Sed adesset fortasse etiam ποτιθοῦ, imper. aor. 2. med. Caeterum, computatione in hunc modum instituta, cum efficiantur *triginta duo* dies, noster, praevidens jam totam dierum summam, numeros in medio positos, ut solemus, reticet, statim id, quod efficitur, subjungens: ναὶ, δύο μᾶνες, scil. εἰσίν. Versu seq. scribendum:

ἐξ ὧ ἀπ' ἀλλάλων, κ' οὐδὲ Θρακιστὶ κέκαρμαι.

Quod *Toupius* voluit: οὐδὲ Καριστὶ κέκ. propter productionem in οὐδέ sic certe non ferendum; sed poterat: κ' οὐδ' ὦν Κ. κ. Nam δή cum *Wartono* scribere nolim. Sed vereor fere, ne Κᾶρας ap. Scholiasten nihil nisi error cum praecedenti ἐκάρη protulerit. Versu seq. idem *Toupius* ex lectione ed. Florent. οἶδε Λύκος νῦν πάντα corrigebat:

οἱ δὲ Λύκος νῦν πάντα, —

Quod *Brunckii* et *Valkenarii* plausum tulit. Sed si recte memini, hoc pronomen rarissime initio sententiae aut versus ponitur, idque propter praevalentem usum encliticum. Initio versus, non sententiae, occurrit in loco memorabili, Hom. Il. IX. 306. ubi *Heyne* in utraque edit. et *Müller* scripserunt:

ἐπεὶ οὔ τινά φησιν ὁμοῖον
οἱ ἔμεναι Δαναῶν, —

male! quia sic accentum neque habet, neque inclinat. Melius *Wolf* ὁμοῖόν οἱ ἔμεναι Δ. Sed cum Cod. *Townl.* longe praestantissimus, omisso οἱ, praebeat: ἔμμεναι Δ. vereor, ne legendum sit:

ἐπεὶ οὔ τινά φησιν ὁμοῖον
ἔμμεν οἱ Δαναῶν, —

Ita certe nihil insoliti inesset. Theocritum igitur malim in hunc modum emendare:

οἶδα· Λύκος νῦν πάντα, Λύκῳ καὶ νυκτὸς ἀνῷκται.

Hoc mihi in mentem revocat locum Tibulli, temere ab *Heynio* damnatum, I. 5. 75.

Nescio quid furtivus amor parat; utere quaeso,
dum licet; in liquida nat tibi linter aqua.

Furtivus amor parat, nescio quid? per se bonum; sed Tibullus non habebat, cur diceret: *nescio, quid?* quippe qui in amore et amoris machinationibus, quales vv. praecedd. describunt, satis superque versatus. Itaque judica TU, ILLUSTRISSIME OUVAROFF, an probari mereatur, quod ante multos annos in schedas conjeci:

Nae, scio, *quid furtivus amor* paret; *utere quaeso,*
dum licet; in liquida nat tibi linter aqua.

„Intelligo tuas artes, (vv. 73. sq.) utere tuo amore, dum licet; et licet nunc." Hoc *utere* eodem modo usurpavit Propertius, IV. 5. 58. vid. *Burm.* p. 801. *amore uti surreptitio*, dixit Plautus, Curc. I. 3, 49. cf. Ovid. Met. IV. 259. Ita minime est, cur verbum *quaeso* mutare velis, quod ironicae huic gratulationi, quae verbis inest, egregie convenit. *Heynium* hoc in errorem induxit, quod *amorem* de *amatore* acciperet.

Redeo ad Idyllium nostrum, in cujus v. 51. *Valkenarius* infeliciter tentabat: Θιώνιχ', ἐγιύμεθα πίσσας, quod non bucolicum tantum, sed vulgarem quoque hexametri numerum evertit. Corrigendus hoc nomine Theogn. v. 1125. in hunc modum:

γνώμην, Κύριε, διδοῦσι θεοὶ θνητοῖσιν ἀρίστην

ibid. paulo post v. 1129. f. legendum: δὴ κακόν ἐστι βροτοῖσι κ.

Versu 56. verba ὁμαλὸς δέ τις ὁ στρατιώτας vitio carere, persuadere mihi non possum. Incidi in eandem emendationem, quam *Grotio* tribui video: ὁμαλὸς δέ τις ὡς στρατιώτας. In inscriptione

epigrammatis e Vat. Cod. p. 442. (Anth. Gr. *Jacobsii*, Vol. II. p. 176. *Huschkii* Ann. critt. p. 288.) CTPAT. non Stratonis nomen latere suspicor, sed: *στρατιώτου*, *militis sepulcrum*.

Multis et plane egregiis VV. DD. commentariis illustratum est prae caeteris Id. XV. carmen his studiis, TE quoque judice, longe dignissimum. Sed vel sic, uti fieri solet, sunt, in quibus haereas. Ita v. 11. variat scriptura:

μὴ λέγε τὸν τεὸν ἄνδρα, Φίλα, Δείνωνα τοιαῦτα,

et: Φίλα, τοιαῦτα Δίωνα, ut nomen masculinum recte reposuit *Reiskius* pro corrupto foeminino Διώνα, quod cum versionis Lat. *cara Dione* inepte retinuit novissimus interpres, p. 133.

Rede von deinem Gemahl nicht also, liebe Diona.

Iam etsi utrumque nomen, et Δείνων et Δίων, verum esse potest, equidem tamen propter parum certam in his carminibus correptionem primae syllabae in τοιαῦτα, vid. ad Id. IV. 60. alteram scripturam: τοιαῦτα Δίωνα amplecti malim. Fieri tamen potest, ut omnis varietas inde sit orta, quod plane nullum nomen proprium, ut quo facile careamus, antiquitus hic legebatur. Fac enim, poëtam dedisse:

μὴ λέγε τὸν τεὸν ἄνδρα, Φίλα, τοιαῦτα τὰ δεινά,

vel τοιαῦτα τὺ δεινά, periisse autem de duabus simillimis syllabis alteram, et videbis, quomodo et in Δείνωνα et in Δίωνα incidere potuerint interpolatores.

Locus, qui a v. 13. sequitur, ita editur et distinguitur:

Πραξινόη.

Θάρσει, Ζωπυρίων, γλυκερὸν τέκος, οὐ λέγω ἀπφῦν.

Γοργώ.

αἰσθάνεται τὸ βρέφος. ναὶ τὰν πότνιαν, καλὸς ἀπφῦς.

Πραξινόη.

ἀπφῦς μὲν τῆνος πρώαν (λέγομες πρώαν θὴν
πάντα,) νίτρον καὶ φῦκος ἀπὸ σκανᾶς ἀγοράσδων,
ἦνθε φέρων ἅλας ἄμμιν, ἀνὴρ τρισκαιδεκάπαχυς.

Hic primum de personarum distributione dubitari potest. Fortasse enim Gorgus nullae hic partes erant, aut illa dicebat tantum: αἰσθάνεται — — πότναν! Neque tamen haec caput rei tangunt; neque necessarium est, a vulgari ordine recedere. Unum hoc contenderim, verba: ναὶ, τὰν πότναν, non ad seqq. sed antecedd. trahenda esse. Minus enim aptum, ad infantem cum hac obtestatione loqui, quam ad amicam in magna rei, quae observatur, admiratione. Sed scrupulum invenit *Reiskius* in lectione Aldinae: κ' ἦνθε, v. 17. ubi additum καὶ, si sanum est, omnino demonstrat, in antecedd. aut versum, aut verbum interiisse. Mutato itaque versu 15. supplet ingeniose: νίτρον ἔβα καὶ φῦκος ἀγοράζων. Manet tamen major difficultas. Cum enim Praxinoë marito male dicere pergens, id puerum intelligere, hic aeque ac supra nolle debebat, pessime illa ὑποκοριστικῷ hoc patris nomine, ex ipso puerili sermone desumto, et paulo ante apud puerum usurpato, novam hanc sinistram de marito narrationem ad amicam incepit, ut, quid rei esset, puer hic quoque necessario sentire deberet. Haec ad incogitantiam mulieris, arte a poëta expressam, si referenda dicerem, vererer, ne majorem ipse in interpretando incogitantiam committerem. Hac enim via si grassaris, vel falsissima defendere licebit. Itaque vocabulum ἀπφῦς, v. 15. aut corruptum est, aut ad alium versum pertinuit, aut aliter certe cum seqq. cohaeret. Ita, ut a postremo incipiamus, scribi et distingui fortasse posset:

Γοργώ.

αἰσθάνεται τὸ βρέφος, ναὶ τὰν πότναν! καλὸς ἀπφῦς.

Πραξινόη.

ἀπφῦς, ναί! — τῆνος πρώαν, κ. τ. λ.

ut post ναί suppleas καλός, et Praxinoë haec ad infantem dicat, sequentia ad amicam; vel ut, verbis tantum: αἰσθάνεται — πότναν, ad Gorgonem relatis, Praxinoë dicat:

καλὸς ἀπφῦς,

Ζώπυρ'! — ἔβα τῆνος πρώαν κ. τ. λ.

Durus tamen ejusmodi transitus. Sed facile excidere potuisset versus ex hac serie:

Γοργώ.

αἰσθάνεται τὸ βρέφος, ναὶ τὰν πότναν! καλὸς ἀπφῦς.

Πραξινόη.

ἀπφῦς, ναὶ, καλός ἐντι, φίλον τέκος, οὐ λέγω ἀπφῦν. —

aut: ἀπφῦς ἐντὶ καλὸς, ναὶ τὰν πότναν! καλὸς ἀπφῦς. —

κῆφα μὲν τῆνος — — — — ἀγοράζειν,

κῆνθε, φέρων κ. τ. λ.

ut κῆφα est in Id. I. 82. κῆπε ib. 97. vel κῆβα μὲν — ἀγοράζων, ubi facile librarii oculus a simili initio alterius versus in alterum delabi potuit. Neque improbabilis ejusmodi repetitio, et versus similes periisse, supra ad Id. VIII. vidimus. Sed si vel nullus ejusmodi versus praecessit, tale κῆφα vel κῆβα, a librario, qui scriptum in fine praecedentis versus ἀπφῦς adhuc in animo et oculis tenebat, facile in hoc vocabulum corrumpi potuit. Et similitudo quidem major adhuc esset, si, non nimis urgens lectionem κῆνθε, tentares:

Γοργώ.

αἰσθάνεται τὸ βρέφος, ναὶ τὰν πότναν! καλὸς ἀπφῦς.

Πραξινόη.

καὶ φὰς μὲν τῆνος — — — — — ἀγοράζειν,

ἦνθε, φέρων κ. τ. λ.

vel καὶ βὰς — ἀγοράζων, ἦνθε φ. E quibus alterum parum abest, quin verum putem.

Superest difficultas in verbis: λέγομες πρώαν θὴν πάντα. Sensum recte cepit *Toupius*. Verum partic. θήν, ut reliquae hujus generis particulae, post primum vocab. λέγομες proprie collocari deberet. Cf. Id. I. 97. VII. 83. XIV. 43. recte etiam καὶ γὰρ θὴν est Id. VI. 34.

Neque tamen vocabula propter deteriorem numerum: λέγομες θήν πρώαν, transponere facile licet. Interim adest excusatio haec, quod vocab. πρώαν, quatenus ad seriem orationis grammaticam non pertinet, eatenus neque numerandum est. Imo distinguenda sunt loca, in quibus haec particula ad universam sententiam pertinet, ab iis, ubi illa proxime ad unum tantum sententiae vocabulum refertur, cui, ut fere part. γέ, merito postponenda est. Ponitur itaque hic post πρώαν eodem fere jure, quo post ὔμμες, Id. V. 111. Omnino autem hanc scripturam praefero illi, quae δέ aut τά interponit, prima in πρώαν correpta: de qua licentia nobis ad Id. IV. 60. satis expositum. In his acquiescendum puto, etsi in mentem venit aliquando:

καὶ φὰς μὲν τῆνος πρώαν, (λεγόμεσθα δὲ πρώαν
πάντα!) νίτρον κ. φ.

ut id more Homerico dicatur pro: λεγώμεσθα: *dicamus inter nos de omnibus nuper*, scil. ut puer de antiquis rebus agi existimet.

De versu 25. unum hoc monuisse sufficiat, genitivum ὧν ante ἴδες non potuisse locum habere, nisi aut paulo post pro τύ legebatur τί, aut, quod probabilius, praecedebat versus, in quo genitivus erat, quocum sequens relativum, noto Graecismo, pro casu sui verbi concinebat, veluti:

κόσμον καὶ πέρυσιν μέγαν ἔκλυον ἔμμεναι ἱρῶν·
ὧν ἴδες ὤν, εἴπαις ἂν ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι.

pro: ἃ ἱερὰ ἴδες, ut illa superiori anno vidisse poneretur. Conf. *Brunckium*. Manet tamen ὦν, importune positum, et omnia sunt quam maxime prosaica. Potuissetne sine ejusmodi versu scribi interrogative:

μῶν ἴδες, ὧν εἴπαις ἂν ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι;

Vidistine fortasse jam, de quibus homini, qui nihil vidit, tu experta narrares? Sed μῶν, etsi Doricum est forma, nescio, an item sit usu.

Versu 27. ubi nunc αἰνόθρυπτε versum claudit, fortasse sensu clariori et mollioribus numeris reponendum: αἰολόθρυπτε. Vocaretur ita mulier, quae *multis modis* διαθρύπτεται, ut est v. 99. Verba v. 32. ὁκοῖα θεοῖς ἔδοκει, τοιαῦτα γίνημαι accipiunt, ut videtur, de superstitiosa dicendi formula, qua se mulier ista Diis faventibus lotam pronuntiet. Fortasse recte! Sed fortasse totum hoc pertinet ad vers. praeced. τί μευ τὸ χιτώνιον ἄρδεις; ut Germanice diceres: *Nun, ich bin gut*, nach der Möglichkeit, *nass geworden*.

Versu 41. non ferendus hiatus in δάκρυε ὅσσα θέλεις, sed legendum: δάκρυ' ὁκόσσα θέλεις. Aliter statuendum de hiatu v. 46. καλὰ ἔργα, cf. vv. 146. 149. — Versu 50. pro obscuro πάντες ἐρειοί, videndum, an legi possit: πάντοσε ῥεμβοί, *quocunque vagantes, vagabundi*; vel παντὸς ὀρεκτοί, aut ὀρεκταί, *omnes*, aut *omnia attrectantes, petentes, lacessentes*. Sed laborant etiam haec suis quaeque modis. — Versu 57. clarius esset: τοὶ δ' ἔβαν ἐς καιρόν, *opportune discesserunt*. Scio tamen, quantopere sibi placeant Grammatici in explicandis et amplificandis vocabb. χῶρος et χώρα.

Versu 79. verba θεῶν περονάματα φασεῖς fortasse non sunt sollicitanda. Certe, si quid mutandum, non cum *Ruhnkenio* θεῶν γε ||πονάματα, propter vitiosam caesuram, sed si illud nomen propter vers. seq. unice verum, potius θεῶν|| τὰ πονάματα tentandum. Particula πέρ sensu hic caret. Verum cum in Cod. repertum περνεύματα, offerret sese τορνεύματα, accipiendum latiori sensu de operibus elegantissimis, et veluti torno elaboratis. Ad lanificium spectaret similis moduli vocabulum: πανίσματα. Cf. Id. XVIII. 23.

Iam, VIR ILLUSTRIS, adi mecum de novo locum plane conclamatum, v. 94. sq. editur:

μὴ φυῆ, Μελιτῶδες, ὃς ἁμῶν καρτερὸς εἴη,
πλὰν ἑνός· οὐκ ἀλέγω, μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς.

Taceo conjecturas aliorum, quorum infelix agmen brevi fortasse erit, cum, TE judice, et ego augeam. Una litera mutata, legendum propono:

— — οὐκ ἀλέγω, μή μοι γενεὰν ἀπομάξῃς.

9''

aut μὴ μευ γενεὰν ἀ. Pendent haec ex antecedd. vv. 90. sqq. Sensus est: Non sollicita sum, quasi tu nobis *genus nostrum*, quo Dorienses sumus, eripere possis, et veluti *abstergere* in nobis *patrium Dorismi colorem*. Germ. esset: *Du sollst mir meine Nationalität* (*Volksthümlichkeit*, amant nunc dicere!) *nicht verwischen wollen!* Formas ἀπομάσσεσθαι vel ἐπιμάσσεσθαι, et ἐκμάσσεσθαι, alio tamen sensu, habes in Id. XXVII. 37. 122. Sed posset etiam distingui et legi in hunc modum:

μὴ φυῦ, Μελιτῶδες, ὃς ἁμῶν καρτερὸς εἴη·
πλὰν ἑνὸς, οὐκ ἀλέγω. μή μευ γενεὰν ἀποτάξῃς!

excepto uno, nullum superiorem timeo. Ne tu mibi genus meum definias, et qua lingua uti debeam, praecipias. Semper vero illud πλὰν ἑνός non ad maritum mulieris referendum, sed ad Ptolemaeum regem. Aliter praecedens versus impium quid contineret in ore ejusmodi muliercularum. — Versu 101. in mentem venit: χρυσῷ πλασθεῖσ' Ἀφροδίτη, i. e. ἐκ χρυσοῦ πεπλασμένη. *Heinsius* enim non persuadet. Versu 112. facile intelligitur, ferri non posse, quod editur:

πὰρ μὲν οἱ ὥρια κεῖται, —

Sed legendum esse πὰρ δέ οἱ ὥρ. κ. cf. v. 130. Eadem emendatione opus est in Arati Phaen. v. 50. ἡ δέ οἱ, et 485. τὸ δέ οἱ, cf. v. 481. ut talia multa *Herrmannus* in Orphh. sanavit. Versu 123. non magis ferenda est productio in his:

ὢ ἔβενος, ὢ χρυσὸς, ὢ ἐκ λευκῶ ἐλέφαντος
αἰετώ, —

TU lege: ὢ ἔβενος καὶ χρυσὸς, ὢ ἐκ λ. quod orationem eleganter variat, nisi molimine paulo majori ubique genitivos post ὢ cum *Valkenario* restituere malis.

Sequitur locus, qui vulgo corruptissime circumfertur, v. 125. sqq.

πορφύρεοι δὲ τάπητες ἄνω, μαλακώτεροι ὕπνω.
ἁ Μίλατος ἐρεῖ, χὠ τὰν Σαμίαν καταβόσκων.
ἔστρωται κλίνα τῷ Ἀδώνιδι τῷ καλῷ ἄλλα.
τὰν μὲν Κύπρις ἔχει, τὰν δ' ὁ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις.

Vides tot membra lacera, quot versus habes. Quantum ex verbis, quae adsunt, effici potuit ingenio, praestitit *Valkenarii* conjectura:

πορφυρέοις δὲ τάπησιν ἄνω (μαλακωτέρος ὕπνω
ἁ Μίλατος ἐρεῖ χὡ τὰν Σαμίαν καταβόσκων·)
ἔστρωται κλίνα· τᾷ Ἀδώνιδι τῷ καλῷ ἄλλα·
τὰν μὲν Κύπρις ἔχει, τὰν δ' ὁ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις.

In his facile et elegans est μαλακοτέρος, et ut haec conjunxit; sed τάπητες in τάπησιν probabiliter mutari, erunt, qui negent. Alia difficultas est in versu 127. qui adeo violenter discerptus esse videtur, ut vulnus inflictum infucari minime potuerit. Ne sequens quidem versus, praecedenti ita divulso, satis apte convenit. Nihil dico de adv. ἄνω, quod, sequente, quo refertur, substantivo κλίνα, minus bene collocatum, quam eodem praecedente. Suspicor lacuna laborare locum, et excidisse ante versum 125. talem, qualis est v. 127. Unius enim literae mutatione opus esset, si locum in hunc modum antiquitus TIBI scriptum cogitares:

ἔστρωται κλίνα τᾷ Κύπριδι τᾷ καλᾷ ἄλλα·
πορφύρεοι δὲ τάπητες ἄνω· μαλακωτέρος ὕπνω
ἁ Μίλατος ἐρεῖ, χὡ τὰν Σαμίαν καταβόσκων.
ἔστρωται κλίνα τῷ Ἀδώνιδι τῷ καλῷ ἄλλα·
τὰν μὲν Κύπρις ἔχει, τὰν δ' ὁ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις.

Iam post illud aptissime collocatum ἄνω facile supplendum ex antecedd. verbis ἐστρωμένοι εἰσίν. Caeterum si quis in illo versu, unde similem confecimus, copulam initio suppleret: κ'ἔστρωται, vel κ'ἤστρωται, ei non magnopere obloquerer. De confusione propter similes versus jam saepius dictum, cf. ad Id. VIII. Dictum etiam de productionibus ante lit. ῥ, qualis est in v. 128. ubi *Valkenarii* scripturam necessariam non putamus. Cf. ad Id. XI. 45. et vid. Id. I. 124.

In versu 130. lectionem vulgarem, sublata tantum distinctione ante ἔτι, TE, VIR ILLUSTRIS, non nolente, defendi et explicui ad Id. VI. 3. *Valkenarii* ἔτι οἱ περὶ χεῖλε' ἴουλος audacissimum est.

Praeterea ἴουλος, si recte memini, non de prima illa lanugine circa labia, sed circa tempora et genas dicitur. Si quid tentandum, alius fortasse maluisset:

οὐ κεντεῖ τὸ φίλαμ', οὗ οἱ περὶ χέιλε' ὑπήνα.

Versu 133.

οἰσεῦμες ποτὶ κύματ' ἐπ' ἀϊόνι πτύοντα,

verbum πτύειν, male hic sine accusativo positum, emendare debebam ad Meleagri ep. 124. Legendum enim sine dubio: ἐπ' ἀϊόνι κτυπέοντα. Versus 138 notabilis propter illud Αἴας ὁ μέγας, nescio, utrum temere commissum, an male quaesitum. Versu 146. hiatus ante ἴσατι fortasse nullus est, si quidem hoc verbum digamma videtur habuisse. Poterat tamen: ὀλβία, ὅσσα γ' ἴσατι etc. In fine versus γλυκυφωνεῖ vel e conjectura reponendum putabam. Tandem haereo in v. ultimo:

χαῖρε, Ἄδων' ἀγαπατέ, καὶ ἐς χαίροντας ἀφικνεῦ.

Nescio, quam recte ι vocativorum elidi possit, et dubito, ut possit. Praeterea displicet hiatus, etsi scio, nomen proprium excusationem habere. Ambigi poterit inter χαῖρε δ' Ἄδων ἀγαπ. aut χαῖρέ τ' Ἄδων ἀγ. καὶ ἐ. aut denique χαῖρ' Ὤδων ἀγ. ut est χαῖρ' ὤναξ Id. XVII. 135. ubi hiatus fortasse facilius tolerari poterat. Veram puto formam Ἄδων, unde accusat. Ἄδωνα habes in Nossid. ep. 5. firmatum a *Jacobsio* Hesychii auctoritate.

In Id. XVI. v. 2. etsi verba κλέα ἀνδρῶν et ipsa hiatum continent, TU tamen recte Homeri exemplum obtendebas, cf. v. 84. Versu 13. si editur:

τίς τῶν νῦν τοιόσδε; τίς εὖ εἰπόντα φιλασεῖ;

prima interrogatio pertinet ad illiberales, cf. v. 5. sqq. quorum quia nimis magna datur copia, ejusmodi interrogandi formula parum videtur apta. Imo ad liberales, quorum exiguus suppetit numerus, verba dirigenda in hunc modum:

τίς τῶν νῦν τοιόσδ', ὅτις εὖ εἰπόντα φιλασεῖ;

vel φιλάσαι; sic τοῖος est v. 64. — Versu 19. minus certum est, quomodo accipienda sint verba: αὐτῷ μοί τι γένοιτο. Possunt esse interlocutoris, quem ex illa illiberalium hominum turba sibi fingit poëta; atque ita votum avaritiae continent. Sed possunt etiam ipsius poëtae esse; ita interrogative sunt capienda. Si prius, totus locus distinguendus:

ἀλλ' εὐθὺς μυθεῖται· „ἀπωτέρω, ἦ γόνυ, κνάμα·
„αὐτῷ μοί τι γένοιτο· θεοὶ τιμῶσιν ἀοιδούς·
„τίς δέ κεν ἄλλου ἀκοῦσαι; ἅλις πάντεσσιν Ὅμηρος·
„οὗτος ἀοιδῶν λῷστος, ὃς ἐξ ἐμεῦ οἴσεται οὐδέν·"
δαιμόνιοι, τί δὲ κ. etc.

Si posterius, habebis:

ἀλλ' εὐθὺς μυθεῖται· „ἀπωτέρω, ἦ γόνυ, κνάμα."
αὐτῷ ἐμοὶ τί γένοιτο; „θεοὶ τιμῶσιν ἀοιδούς·
„τίς δέ κεν" etc.

Semper vero illiberalis ejusmodi vox tecte Hieroni non sine tacita irrisione tribuitur. Versus 21. potest sententiam communem continere, qualem expressit versio Latina. Sed malis fere, οὗτος de Homero accipere, et mox scribere: ὁ δ' ἐξ ἐμ. οἴσ. *at nec ille quidquam a me reportabit*: quod non illepide de antiquo Homero dictum.

In verbis v. 38. sq.

μυρία δ' ἀμπεδίον Κρανώνιον ἐνδιάασκον
ποιμένες ἔκκριτα μῆλα Φιλοξείνοισι Κρεώνδαις.

TU quoque, ILLUSTRISSIME OUVAROFF, dubitabas mecum de transitiva significatione verbi ἐνδιάω. Praeterea Κρεώνδαις, numero plurali, si recte video, habet aliquid absurdi; neque pluralem Scholiastes videtur agnouisse. Vide itaque, an scribendum sit:

μυρία δ' ἀμπεδίον Κρανώνιον ἔ ν δ ι ο ι ἄ γ ο ν
ποιμένες ἔκκριτα μᾶλα Φιλοξείν ο ι ο Κρεών δ α.

Ita ποιμένας ἐνδίους infra habes, v. 95. et τὰν αἴγλαν ἄγεν, Id. III. 43. Si verbum ἐνδιάασκον TIBI eripi non pateris, legendum propono:

ἐνδιάασκον

ποιμέσιν ἔκκριτα μᾶλα Φιλοξείνοιο Κρεώνδα.

aut adeo: ποιμένος — Φ. Κρεώνδα, si Κρεώνδας ποιμήν aliunde probari potest. Versu 41. salvo aliorum judicio, equidem malim: στυγνοῖο Χάροντος. Versu 60. pro eo, quod editur: ἀλλ' ἶσος γὰρ ὁ μόχθος, malim legere:

ἀλλὰ γὰρ ἶσος ὁ μόχθος, — —

quia de ἶσος prima in thesi recte producta, non minus dubito, quam in καλός, eadem mensura, ad Id. II. 125. haesitavi. Praeterea, vocabulis transpositis, etiam particula γάρ locum suum recuperat. In Theogn. v. 556. ed. *Br.* malim:

Κύρνε, δίκην, δόμεναί τ' ἀμφοτέροισιν ἶσον,

quam δίκην, ἶσόν τ. α. δόμεν. In Hesiod. ἔργ. ap. *Br.* v. 652. f. leg. μηδὲ κασιγνήτῳ ποτ' ἶσον, cf. v. 662. In Panyas. fr. I. v. 7. ap. *Br.* p. 130. ἶσον initio versus ponendum, ut v. 4. Sed de his et ejusmodi pluribus alibi.

Versu 63. editur:

καὶ φιλοκερδείῃ βεβλαμμένον ἄνδρα παρελθεῖν,

vel παρενθεῖν. Sed hoc verbum merito displicet. Sensui accommodatissimum esset *Wartoni* παρειπεῖν, ubi tamen de corruptione mireris. Fortasse poëta dedit: ἄνδρ' ἐπανορθοῦν, cujus verbi syllaba penultima, si forte praepostere scripta erat ρον, facile παρενθεῖν oriri potuit. Imo dabatur fortasse adeo verbum: παρορθοῦν, ut ne apostropho quidem opus esset. Praeterea haec forma magis poëtica videri posset, quam ἐπανορθοῦν. Si lituram statuas unam alteramve syllabam obscurasse, nec ἄνδρ' εὐθύνειν probabilitate sua careret. In Arato, Dios. 31. sq. editur: εὖ δὲ καὶ ἄλλον

παρειπὼν ὤνησεν, ὅτ' ἐγγύθεν ἄρορε χειμών,

quod scio, quibus exemplis defendi possit; sed vel sic non dubitem reponere: παρπείθων ὤν.

Laudes Ptolemaei Philadelphi, Id. XVII. celebratas, si quis ad alium satis a Theocrito diversum poëtam cum *Eichstadio*, Adumbr. quaest. de carmm. Theocritt. p. 45. referre malit, is facile mihi persuadeat, puto, etiam TIBI, VIR ILLUSTRIS. Lubricum tamen tale judicium, in quo saepe viros in hoc genere principes sibi, mirum quantum, repugnare videas. Excutiamus interim singula! Ac primum quidem v. 7.

αὐτὰρ ἐγὼ Πτολεμαῖον, ἐπιστάμενος καλὰ εἰπεῖν,
ὑμνήσαιμ'. ὕμνοι δ. κ.

TU malebas, ἐπιστάμενον καλὰ ῥέζειν, provocans ad vers. praeced. et v. 103. Melius omnino! Sed vereor, ne suam sibi vanitatem una cum hiatu hic auctor reclamet. Post versum 10. ubi post institutam comparationem oratio nimis hiat, putabamus aliquando, ut scis, versum similem interiisse, veluti:

παπταίνω κὴγών, Πτολεμαίου κῦδος ἀείσων,
τί πρῶτον καταλέξω;

Sed fortasse in abrupto sermone sublimitatem quaesivit. Versu 13. malim fere verba ἐκ πατέρων ad antecedd. referre, etsi scio, vel illum locum, v. 34. ubi particulae μέν suum δέ respondet, habere, quod receptae distinctioni faveat. De lectione v. 25. quae vera sit, nostris temporibus nemo amplius dubitabit. — De hiatibus, qualis est e dorismo v. 38. in φάντι ἀδεῖν, sermo nobis fuit ad Id. III. 27. — Vv. 43. 44. nemo non supposititios existimet. — Versu 96. τόσσον mutari velim in ὅσσον, versu cum praecedenti juncto, sententia graviori:

ὄλβῳ μὲν πάντας καταβεβρίθει βασιλῆας,
ὅσσον ἐπ' ἆμαρ ἕκαστον ἐς ἀφνεὸν ἔρχεται οἶκον
πάντοθε.

ὅσσον, i. e. ὅτι τόσσον, cf. Id. XV. 146. ὀλβία, ὅσσα ἴσατι. Sic saepe οἷον positum, ut: Il. β. 239. ζ. 166. ρ. 173. Soph. Electr. 744. ed. *Erf.* in cujus vexato loco paulo ante v. 718. sqq. legerim:

πῶλοι βίᾳ φέρουσιν, ἐκ δ' ὑποστροφῆς
τελοῦντες ἕκτον, ἤ 'βδομόν γ' ἤδη δρόμον,
μέτωπα συμπαίουσι Βαρκαίοις ὄχοις·

Iam ὄχους non de equis accipiendum, sed sensu proprio de curru praecedenti, in quem insequentes alterius equi tanta vi a tergo invehuntur, ut eum evertant et ipsi perturbentur. Nosti, puto, quam saepe hic apud nos inter plures trigas, cursu concitato inter se certantes, tale quid, hiemis praesertim tempore, accidat. Verba ἐξ ὑποστροφῆς si sequentibus junguntur, pertinent ad numerum cursuum, ex quo meta semel superata erat. Si separantur, hoc inerit, quod de suo tramite in vicinum alterius, qui juxta vehebatur, equi male declinabant. *Musgravii* commentum cogitari non potest. Veniam dabunt *Hermanni* et *Seidleri*, si et ipse de tramite meo male in alienum declinavi. Certare cum iis nolui; et pro venia impetranda offero pretium de TUIS, ILLUSTRIS OUVAROFF, praeclaram TUAM emendationem v. 160.

ὄλβιος, ὃν ἁ κλεινὰ
γᾶ ποτὲ Μυκηναίων
δέξεται εὐπατρίδαν, Διὸς εὔφρονι
λήματι μολόντα τάνδε γᾶν, Ὀρέσταν.

ut pro obscuro βήματι scribebas.

Redeo ad illud οἷον, quod etiam in Theocr. Id. II. 9. XXV. 40. habes. Simplex relat. ὅ ita usurpatum, vide Odyss. α. 382. coll. 389. rescribendum in Arati Dios. 341.

χαίρει ἄνολβος ἀνὴρ, ὅ οἱ οὐ μάλα θαλπιόωντι
εὔδιον φαίνουσι βιβαιόμεναι ἐνιαυτόν.

male editur vulgo: ἀνὴρ, οἷ οἱ οὐ μ. Denique ex hoc dicendi usu restituendum est epigr. ἀδέσπ. 307. A. B. III. 216.

Πιερίδες, τί μοι αἰνὸν ἐφωπλίσσασθε Μάρωνα,
αἶα καθ' ἡμετέρης ψεύσατο σωφροσύνης.

Sequitur in Id. nostro locus venustus, sed impeditus, v. 121. sqq.

μοῦνος ὅδε προτέρων τοκέων ἔτι θερμὰ κονίῃ
στειβόμενος καθύπερθε ποδῶν ἐκμάσσεται ἴχνη.
μητρὶ φίλᾳ καὶ πατρὶ θυώδεας εἵσατο νηώς.

Operosa sunt, quae tentant; neque tamen satisfaciunt, quia v. 123. hiare sinunt, ut hiat. Verba προτέρων τοκέων inepta sunt, sed *Brunckii* πρότερα ἴχνη, addito vitio metrico, non meliora. Posset quidem jungi: μῦνος ὅδε προτέρων, sc. ἀνθρώπων, sed, ut de sensu nihil dicam, quis haec pronuntiatione a τοκέων apte distinguat? Nisi magnopere fallor, legendum est:

μοῦνος ὅδε, σ φ ε τ έ ρ ω ν τοκέων ὅ τ ι θερμὰ κονίᾳ
στειβόμενος καθύπερθε ποδῶν ἐκμάσσεται ἴχνεα,
ματρὶ φίλᾳ καὶ πατρὶ θυώδεας εἵσατο ναώς.

quia parentum vestigia presse sequitur et pie colit, templa iis exstruxit. Dictum σφετέρων pro ἑῶν, i. e. pron. possess. tertiae pluralis pro possessivo tertiae sing. ut id vice versa fieri solet, et σφέτερος hoc carmine occurrit, v. 41. Cf. Id. XII. 4. XXII. 209. XXIV. 59. In κονίῃ non de cineribus mortuorum cogitandum, sed sunt *vestigia calida*, calida a pedibus proxime praecedentium, *pulveri impressa*, ἐν κονίῃ. Si quis ἔτι nollet in ὅτι mutare, ille multo majori molimine participium sequenti versui inferre deberet; veluti: ποδῶν ἐ κ- μ ά γ μ α τ' ἰ χ ν ε ύ ω ν, aut ποδῶν ἐξ ἴχνεα μ ά ξ α ς, (tmesin vid. Id. II. 55.) utrumque parum probabiliter. Conjunctio ὅτι obscurata est cum magno sententiae et sermonis Graeci detrimento in Phocyl. carm. admon. v. 167. ap. *Br.* Editur:

μητρυιῆς μὴ ψαῦε τὰ δεύτερα λέκτρα γονῆος·
μητέρα δ' ὥς, τίμα τὴν μητέρος ἴχνια βᾶσαν.

variatur ψαῦέ τε et γέ. Legendum:

μητρυιῆς μὴ ψαῦ', ὅ τ ι δεύτερα λέκτρα γονῆος.

Versu, qui hos praecedit, v. 120. αἰεὶ πᾶ κέκρυπται cur mutare malis in π ά ν τ α κέκρ. metricam tantum causam video, ut correptio

10 “

sit ante mutam et liquidam, quam amare videtur hic poëta, cf. v. 90. Equidem nihil muto. — Versu 133. omnino legendum: *ἓν λέχος*, quod propter, nescio, quam eruditionis speciem sollicitarunt. Uti *unus* est lectus Ptolemaeo et sorori, cf. v. 130. ita apud Deos sanctum est inter fratres connubium, et Iris, *ἔτι παρθένος*, v. 134. aut potius, *εὐπάρθενος* *unum* sternit lectum Jovi et Junoni. Finitur hoc carmen his verbis v. 136. sq.

δοκέω δ', ἔπος οὐκ ἀπόβλητον
φθέγξομαι ἐσσομένοις. ἀρετάν γε μὲν ἐκ Διὸς ἕξοις.

Pro ultimo vocab. alia librorum pars *αἰτεῦ* praestat. *Jacobsius*, Praef. in Bion. et M. p. XXV. *ἀσκεῖς* verum putabat. Quantum video, verba postrema non pertinent directe ad Ptolemaeum. Hoc enim si esset, expectaretur fere pronomen: *σὺ δὲ ἀρετὰν ἐ. Δ. ἀσκεῖς*, quod non facile inferri poterit. Deinde sic in antecedd. non esset *φθέγξομαι*, fut. tempore; sed deberet esse *δοκέω φθέγξασθαι*, aut *δοκέω, ἐφθεγξάμην*. Illud igitur futurum *φθέγξομαι* ostendit, poëtam adhuc aliquid novi dicturum esse; et id est illud *ἔπος οὐκ ἀπόβλητον*, non carmen praecedens, sed praeceptum commune, quo claudit. Nimirum observatio tantae in Ptolemaeo virtutis, divinitus concessae, cf. vv. 11. 12. facit, ut unumquemque poëta hortetur, ut talem a Jove virtutem sibi ipse expetat. Lego itaque:

δοκέω δ', ἔπος οὐκ ἀπόβλητον
φθέγξομαι ἐσσομένοις· „Ἀρετάν γε μὲν ἐκ Διὸς αἰτεῦ!"

Si de lectione *αἰτεῦ* dubitatur, eodem sensu altera accommodari poterit, modo scribas: *ἕξεις*.

Pervenimus jam, VIR ILLUSTRIS, ad egregium illud Helenae epithalamium, Id. XVIII., cum duobus illis lubrica crisi famosis locis, vv. 26. 29. In quibus antequam denuo exerceamur, vide mihi v. 20. et ipsum leviter laborantem:

οἵα Ἀχαιϊάδων γαῖαν πατεῖ οὐδεμί' ἄλλα.

Apud *Harles.* *οἷα* scribi, non urgeo; sed primum *οἷα Ἀχ.* auribus displicet, deinde *γαῖαν* ultimam producere, in hoc carmine minus

ferendum videtur, quam Id. XXII. 91. XXIV. 111. Accedit, ex pluribus libris afferri:

οἵα γαῖαν Ἀχαιίδα οὐδεμία πατεῖ ἄλλα.

unde, sublato hiatu, refingendum puto:

οἵα γαῖαν Ἀχαιϊάδ' οὐδεμία πατεῖ ἄλλα.

Qui in priori lectione plus veritatis quaererent, iis suaderem transpositionem hanc:

γαῖαν Ἀχαιϊάδων οἵα πατεῖ οὐδεμί' ἄλλα.

Sed quaeri hic potest de quantitate ultimae syllabae in οὐδεμία, an illa recte et elidatur, et rursus producatur. Atqui notum est μία et ἴα, ultima semper brevi, et quae elidi possit, nullo in nominat. et accusat. ionismo. Pari modo res sese habet in οὐδεμία et μηδεμία, ut ap. Theogn. v. 834. ed. *Br.*

οὕνεκα τοῖς δειλοῖς οὐδεμί' ἐστὶ χάρις.

atque ita *Brunckius* ubique οὐδεμιά et μηδεμία, et in acc. αν edidit, ut vv. 43. 154. 174. in quo versu transpositione opus est, 354. 455. 776. 934. Sed potest praeterea in his compositis formis ionismus locum habere, ex quo doricum α longum defendi debet.

Inde a v. 26. sequitur nobilis illa comparatio Helenae, criticorum crux:

Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον,
πότνια νὺξ ἅτε, λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος·
ὧδε καὶ ἁ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνετ' ἐν ἁμῖν.
πιείρα μεγάλα ἅτ' ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ
ἢ κάπῳ κυπάρισσος, ἢ ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος·
ὧδε καὶ ἁ ῥοδόχρως Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος.

Summam in hoc loco concinnitatem regnare, primo intuitu observatur in repetito illo ὧδε καὶ ἁ etc. Utrimque duo praecedunt versus, qui imagines continent, et quod utrimque in primo versu summum erat comparationis verbum, id in tertio accurate repetitur, διέφαινεν

et mox *διεφαίνετο*, tum *κόσμος* et rursus *κόσμος*. Iam in priori membro concinnitati plane repugnant verba *πότνια νύξ*, sive nominativum, sive vocativum dicas. Verum ut egregia est oppositio in verbis *λευκὸν ἔαρ, χειμῶνος ἀνέντος*, ita similis esse debet inter *ἀώς* et *νύξ*. Atqui illa non poterit inesse, nisi scribatur *π ο τ τ ὰ ν ν ύ χ θ'*, hoc est: *ἀὼς διέφαινε τὸ καλὸν πρόσωπον πρὸς τὰν νύκτα*, ut me inter legendum coram TE emendare probabas, VIR ILLUSTRIS. Et fortasse hoc sufficit, distinctione hac:

ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
π ο τ τ ὰ ν ν ύ χ θ, ἅτε λευκὸν ἔαρ, χειμῶνος ἀνέντος,
ὧδε καὶ ἁ Ἑ. κ. τ. λ.

quia comparandi particula *ἅτε*, sequentibus addita, in praecedentibus eo facilius subintelligi potest, quo minus ita necessaria est, ut non plane omitti potuisset, cf. Id. XIV. 39. Et occurrunt talia ubique. Eam in sequenti quoque membro semel tantum poni, nolo nunc urgere, quia negari non potest, ibi eam omnino aptius initio collocatam esse. Sed si apte illa restitui posset ita, ut bis legeretur, quis eam sperneret in poëta elegantissimo! Verum id, quod nobis sese inter legendum obtulit:

ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν ἅ τ ε φαῖνε πρόσωπον,

etsi facillimum est primo intuitu, nolo tamen amplius defendere, quia ut concinnitas verbum compositum *διέφαινε* retinendum esse suadet, ita a productione, qualis hic in *καλόν*, abstinendum esse, continuata horum carminum lectio magis magisque me docuit. Posterius evitaretur, si transpositis aut mutatis leviter verbis scriberetur:

ἀὼς ἀντέλλοισ' ἅ τ ε καλὸν φαῖνε πρόσωπον, —
ἀὼς ἀντέλλοισα κ α λ ῷ ἅ τ ε φαῖνε π ρ ο σ ώ π ῳ, —

utrumque in hunc modum:

καλὸν ἅ τ' ἀντέλλοισ' ἀὼς διέφαινε πρόσωπον,

quod depravari facile potuit, si *ἅ τ'* ante simillimum *ἀ ν τ.* forte excidit, quo facto, verba sine illa vocula vix aliter consarcinari

poterant, ac nunc sunt. Simili modo verba in Codd. trajecta vidimus paulo ante v. 20. Neque vero probabilitate careret ejusmodi conjectura:

ἀῶς ὧς τέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
ποττὰν νύχθ', ἅτε λ. ε. χ. α.

ut ἠλίου τέλλοντος, cum glossa ἀνατέλλοντος, est in Soph. Electr. v. 692. ed. *Erf.* et τέλλεσθαι ap. Arat. Phaen. vv. 285. 382. cui v. 417. recte *Grotius* θλίβεται ἀντέλλοντος pro insipido θλίβετ' ἀνατ. restituit. Si in poëta non dorico versaremur, fortasse adhuc alia emendandi via suppeteret haec:

Ἕως ἅτ' ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον —

quod legendum, ut illud Hom. Il. I. 193. ἕως ὁ ταῦθ' ὥρμ. i. e. εἷος ὁ τ. cf. Odyss. VII. 280. Nititur enim hoc ea, puto, analogia, qua Graecis licet, in duabus continuis syllabis sedem productionis ab una ad alteram transferre, ut πόληος pro πόλεως, λεώς pro λαός, aut, cum θείομεν dicunt pro θέωμεν, Il. I. 143. aut pro contracto αο nunc οω, idque plerumque, ut μειδιόωντ, γελόωντ, nunc ωο, ut ζώομεν, Arat. Dios. 370. unde ap. eund. Phaen. 464. scribendum:

μέτρα περισκοπέοντι πλανωομένων ἐνιαυτῶν,

ubi inepte editum πλανωμενάων ἐν. Sed de hac re alibi. Accederet non inusitata synizesis in voc. Ἕως, cf. Il. XXIII. 226. Sed doricum Ἀώς, cum duas habeat longas, jure huc trahi non potest.

Quibus disputatis, equidem ita de hoc loco judicaverim: quod attinet verba ποττὰν νύχθ', haec vere scribi videntur; apostrophum nemo in his carminibus jure reprehendat; ad ποττάν cf. Id. IV. 50. V. 74. 143. XI. 1. XV. 70. De reliquis, in quibus non tam necessitas, quam elegantia spectabatur, eo minus certi quid definiri potest, quo plura ad conjiciendum sese offerunt. De conatibus aliorum vid. imprimis *Heinrichii* Obss. p. 68. sqq.

In altero hujus loci membro displicuit nobis illa orationis paupertas, qua eadem arbor, neque illa satis apte, *agri, aut horti* decus

admodum prosaice vocatur, et videbamur nobis, ut nosti, **VIR ILLUSTRISSIME**, tantum non ipsam veritatem invenisse, cum nobis, nescio, utrum ex ingenio, an ex obscura lectionis memoria, in mentem veniret:

αἴγειρος μεγάλα ἅτ' ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ,
ἢ κάπῳ κυπάρισσος, ἢ ἁ. Θ. ἵ.

Sed hanc arborem Critici certatim occuparunt, vid. *Heinrichium* l. c. p. 73. sqq. qui argutius quam verius contra hanc conjecturam declamat. Est tamen sine dubio haec lectio melior, quam vulgata. Interim ego, praeoccupata ab aliis populo, alias mihi arbores circumspexi, et videor mihi deprehendisse integram sylvulam, nemus sacrum, Divae Criticae, fallaci scilicet, consecrandum. Vide modo, quam lepide e fertili hoc solo conjecturae propullulent hae:

πιείρᾳ μελία ἅτ' ἀνέδραμα κόσμος ἀρούρᾳ, —
πιείρᾳ δ' ἐλάτα ἅτ' ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ, —
πιείρᾳ ἅτ' ἐλαία ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ, —
πιείρᾳ πτελέα ἅτ' ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ, —
ἢ φιλύρα μεγάλα ἅτ' ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ, —

Satis est; quincuncem jam habemus, in cujus umbra requiescamus. Etenim verbum *ἀνέδραμε*, quod scio, quam eleganter dictum sit et per se, et in hoc schemate, interpretibus eripere nolo, etsi tentari posset:

πιείρᾳ μεγάλα ἅτε μὲν δρῦς κόσμος ἀρούρᾳ, —

cui colorem concilies eo, quod, cum in praecedenti membro verbum *διέφαινε* mox in *διεφαίνετο* recurrat, hic sine verbo *κόσμος* tantum repetitur, quasi neque praecessisset verbum. Ex quibus omnibus quid verum sit, aut vero propius, quis definiat! Adeo haec sunt incerta. Sed vulgatam veram non esse, id certissimum puto.

Ut in hoc loco probabiliter erratum in voc. *μεγάλα*, ita illud sine dubio factum in his Theogn. v. 1055. sqq. ap. *Br.*

Ἤδη καὶ πτερύγεσσιν ἐπαίρομαι, ὥστε πετεινόν,
ἐκ λίμνης μεγάλης ἄνδρα κακὸν προφυγών,
βρόχον ἀποῤῥήξας.

immo scribe mecum et distingue:

Ἤδη καὶ πτερύγεσσιν ἐπαίρομαι, ὥστε πετεινόν
ἐκ λινέης νεφέλης, ἄνδρα κακὸν προφυγών,
βρόκχον ἀποῤῥήξας.

De λινέῃ νεφέλῃ cf. Paul. Sil. ep. 82. Arch. ep. 23. Antip. Sid. ep. 17. Sed quod βρόκχον, i. e. βρόχον, uti σκύπφος et similia, attinet, potuit ille etiam οἷα βρόχον ῥήξας scribere, quod per errorem forte transpositum βρ. οἷα ῥ. corruptioni facile obnoxium erat. Addo alium Theogn. locum, non minus corruptum, v. 1149. sqq. ed. *Br.*

Ὄρνιθος φωνήν, Πολυπαΐδη, ὀξὺ βοώσης
ἤκουσ', ἥτε βροτοῖς ἄγγελος ἦλθ' ἀρότου
ὡραίου· καί μοι κραδίην ἐπάταξε μέλαιναν,
ὅττι μοι εὐανθεῖς ἄλλοι ἔχουσιν ἀγρούς, —

hic nisi κραδίην μέλαιναν obscure et contorte defendas ex Homerico: πολλὰ δέ οἱ κραδίη πόρφυρεν, Il. XXI. 551. equidem nihil intelligo. Sed scripsit, nisi fallor:

καί μοι κραδίην ἐπάταξε μέριμνα,

errorem protulit confusio solemnis inter λ et ρ. In postremo hujus epigrammatis versu, plane conclamato:

τῆς ἄλλης μνηστῆς εἵνεκα ναυτιλίης.

TU, VIR ILLUSTRIS, conjiciebas τῆς αἰεὶ λυγρῆς εἵν. ν. vel τῆς τὸ πρὶν λυγρῆς εἵν. ν. *Brunckio* certe non deterius. Mihi inter alia multa in mentem venit: τῆς ἀλεγεινοτάτης εἵν. ν. Sed neque hoc satisfacit. Notabilis est hiatus in Πολυπαΐδη v. 1. hujus epigr. facile evitandus, sed ubique a Theognide admissus, ut v. 25.

οὐδὲν θαυμαστόν, Πολυπαΐδη· οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς
οὔθ' ὕων πάντας ἁνδάνει, οὔτ' ἀνέχων.

ubi fallitur cum accusat. suo *πάντας Brunckius*, cf. vv. 24. 34. 44. 52. 374. 710. 780. 782. Scribendum procul dubio:

οὔθ᾽ ὕων π ά ν τ ε σ σ᾽ ἁνδάνει, οὔτ᾽ ἀνέχων.

ut in ead. versus sede *πλεόνεσσ᾽ οὐ δ.* est v. 514. Et sic ubique in Theogn. quidem brevis syllaba in medio pentametro corrigenda, ut v. 2.

λήσομαι ἀρχόμενος, κ᾽ ο ὐ δ᾽ ἀναπαυόμενος,

ut alibi idem vitium supra sustulimus.

Sed revertendum tandem ad epithalamium nostrum, in cujus v. 34. etsi singula egregie aut defensa sunt, aut defendi possunt, fieri tamen potuit, ut Theocritus magis proprie scriberet *σ υ γ κ ρ ί- ξ α σ α* aut *σ υ μ π λ ή ξ α σ α*, et fortasse adeo *ἔ κ α μ᾽ ἐκ κελεόντων*. Sed audio TE, ILLUSTRISSIME OUVAROFF, merum novaturiendi pruritum mihi graviter exprobrantem. Facilius, puto, feres, me v. 53. loco conjunct. *ὧν* malle relativum *ὅ ρ ν᾽ ἐξ εὐν.* Hoc enim epicum, alterum prosaicum est.

In Id. XIX. nobis brevibus esse licebit. Moneo tantum, in verbo *ἐφύση* v. 3. non opus esse geminata litera sibili, ut vulgo editur: syllaba enim per se longa est, vid. Morellii thes. et ita recte *φυσαθέντος* scribitur in Id. XXIII. 77. *ἐκφυσῶντας*, Id. XXIV. 47. — Sed expediendus est versus ultimus:

τὺ δ᾽ οὐκ ἴσος ἐσσὶ μελίσσαις;
χὡς τυτθὸς μὲν ἔης, τὰ δὲ τραύματα ἁλίκα ποιεῖς;

operosa sunt, quae ab aliis tentantur. Suspicor legendum esse:

χὡς τυτθὸς κ α ι ἔης, τὰ τραύματα δ᾽ ἁλίκα ποιεῖς!

vel: *τὰ δὲ τραύματα τ α λ ί κ α ποιεῖς! et quantumvis sis parvus, at quanta infers vulnera!* vel: *tanta tamen vulnera infers!* Versu praeced. neutrum *ἴσον* mihi non probatur, ut abhorrens a nativa hujus loci simplicitate.

Id. XX. quemcunque demum auctorem habeat, ita certe elegans est, ut medicam opem, quam implorat, quam maxime mereatur. Ut autem totum carmen peculiari quodam charactere distinguitur, ita etiam loca, in quibus haeretur, modo plane peculiari laborant. Editur a v. 5. vulgo sic:

μή τύ γέ μευ κύσῃς τὸ καλὸν στόμα, μηδ᾽ ἐν ὀνείροις.
οἷα βλέπεις, ὁπποῖα λαλεῖς, ὡς ἄγρια παίσδεις·
ὡς τρυφερὸν λαλέεις, ὡς κωτίλα ῥήματα φράσδεις·
ὡς μαλακὸν τὸ γένειον ἔχεις, ὡς ἁδέα χαίταν.
χείλεά τοι νοσέοντι, — —

Leve vitium metricum in *κύσῃς* post *Toupium* sustulit *Valkenarius* geminato sibilo. Poterant etiam: μή τύ γ᾽ ἔμετο κύσῃς τ. κ. στ. Sed versus 6. qui sequitur, ita, uti nunc quidem est, nunquam coibit cum vv. 7. et 8. ut primo intuitu aut ille, aut hi videantur expellendi esse. Optime enim *Jacobsius*, Spec. Emendatt. p. 47. mirum esse, observavit, puellam a conviciis incipere, mox ad irrisionem procedere, denique rursus ad convicia delabi. Deinde ut jam satis verbose jungitur illud τρυφερὸν λαλεῖν, cum eo, quod sequitur, κωτίλα ῥήματα φράζειν, v. 7. ita praecedens v. 6. λαλεῖν repetitionem taediosissimam efficit. Iam si *Jacobsii* vestigiis l. c. incedendum est, scribi fortasse potest:

εἷα βλέπεις, ὀκκοῖα γ ε λ ᾷ ς, ὡς ἄ ρ τ ι α παίσδεις,
ὡς τρυφερὸν λαλέεις, ὡς κωτίλα ῥήματα φράσδεις, —

Nisi dubitarem de forma praes. λακέω, cf. ad Id. II. 24. priori loco lubens hoc ponerem, de pronuntiatione verborum rudi et incondita. Voc. ἄρτια hic dictum fuerit ut in ἀρτιεπής, ἀρτίφρων, ἀρτίνοος, et in Homerico ἄρτια ᾔδη, de lusu apto et concinno. Fortasse etiam tolerabilis esset nexus, versu 6. cum praecedente arctius conjuncto:

μή τύ γέ μευ κύσσῃς τὸ καλὸν στόμα, μηδ᾽ ἐν ὀνείροις,
οἷα βλέπεις, ὀκκοῖα λαλεῖς, ὡς ἄγρια παίσδεις. —

i. e. ὅτι τοῖα βλ. τοῖα λαλεῖς καὶ ὅτι οὕτως ἄγρια παίζεις; vel ὅσσ᾽ ἄγρια π. i. e. ὅτι τόσα ἀγρ. π. Cf. quae ad Id. XVII. 96. de hoc

relativorum hujus generis usu adnotavimus. Sed fortasse hoc nihil est, nisi infucare vitium. Praeterea in hoc ipso loco, v. 8. mirum est, neminem offendisse ad insolentem locutionem ἀδέα χαίταν, cui adde mihi continuo id, quod edunt v. 44. τὸν ἀδέα, etsi altero per se usitatius, hic tamen illo, ut videtur, multo corruptius. Observatum est a Grammaticis, ab adjectivis in υς occurrere passim accusativos sing. in εα, ut εὐρέα πόντον, Hom. Il. VI. 291. cf. *Matthiae* Gr. gr. §. 119. not. 2. Sed exempla, quae afferuntur, in masculino posita sunt, ut τὸν ἀδέα quidem v. 44. non vero ἀδέα χαίταν hac auctoritate defendas. De foeminino ejusmodi accusativo plane nihil invenio. Neque tamen tale foemininum ab analogia abhorret. Nam ut cogitari possit accusat. in εα, ponendus est nominativus in ης, quae terminatio adjectivorum cum generis communis sit, recte accusativi illi in εα et ipsi communes esse possunt. Et in ἡδύς quidem ejusmodi suppositio eo minus offensionis habet, quo plures hic formae compositae in ης occurrunt, ut ἀηδής, μελιηδής, θυμηδής, φιληδής, sive ab ἡδύς derivandae, sive potius ab ἦδος. Accedit aperta eaque mutua commixtio in formis adjectivorum in ης et υς. Ita enim vicissim in adjectivis in ης passim foeminina in εια occurrunt, quasi a masculinis in υς, ut ἡδυέπεια, Orph. H. I. 36. ἰσοτέλεια, Non. XXXVII. 312. XLV. 49. quam formam male damnat *Dan. Heinsius.* Huc pertinent, quae nomina propria facta sunt, ut Ἠριγένεια, Ἰφιγένεια, Κοιογένεια, Apollon. II. 712. alia. Imo per abusum ejusmodi foeminina vel ad adjectiva in ος translata sunt, ut καρποτόκεια, καλλιτόκεια, δυσαριστοτόκεια, ἀριστοτόκεια Id. XXIV. 72. imo ad alias omnis generis formas, ut ἀριστοπόσεια, ap. Oppian. Cyn. I. 6. ostendit. Denique ut ἀδέα χαίταν non continuo damnes, facit etiam hoc, quod adjectiva in υς passim foemininis junguntur, ut ὑδὺς ἀϋτμή, Hom. Od. μ. 369. cf. *Matth.* Gr. gr. §. 119. not. 4. Ita equidem lectionem receptam ἀδέα χαίταν satis mihi videor firmasse; TU, VIR ILLUSTRISSIME, si vel sic eam improbas, vide, an praestet legere:

ὡς μαλακὸν τὸ γένειον ἔχεις, ὡς ἀδέα χαῖτα,

vel χὡς aut ὡς θ' ἀδ. ut ἐστί suppleatur.

Sequitur locus impeditus vv. 21. sqq.

καὶ γάρ ἐμοὶ τοπάροιθεν ἐπάνθεεν ἁδύ τι κάλλος,
ὡς κισσὸς ποτὶ πρέμνον, ἐμὰν δ' ἐπύκαζεν ὑπήναν·
χαῖται δ' οἷα σέλινα περὶ κροτάφοισι κέχυντο.

Recte dicitur κάλλος ἐπήνθει μοί; sed comparatio ὡς κισσὸς ποτὶ πρέμνον, quamvis et ipsa per se elegans, plane non convenit. Subabsurdum etiam per se est: ἡδύ τι κάλλος, πυκάζον ὑπήνην. Erat igitur, cum TIBI probaretur conjectura, inter legendum mihi oborta, haec:

καὶ γάρ ἐμοὶ τοπάροιθεν ἐπάνθεεν ἁ δ ὺ ς ἴ ο υ λ ο ς,
ὡς κισσὸς ποτὶ πρέμνον, ἐμὰν δ' ἐπύκαζεν ὑπήναν·

de ἰούλῳ nota sunt omnia, cf. Id. XV. 85. 130. ibique *Valkenarium*; ἡδύς dici poterat, ut supra v. 8. ἁδεῖα χαίταν habuimus, alibi ἁβρός est, ut Orph. Arg. 226. In Nonn. Dion. III. 344. lego: ὅτε χνόον ἔ σ χ ε ν ἰούλων, pro vulgato ἔσκεν. Sed vel sic, a morosiori certe, ad concinnitatem desiderari poterat, ut esset, quod verbis ποτὶ πρέμνον responderet; veluti:

καὶ γάρ ἐ μ ῷ τοπάροιθεν ἐπάνθεε μ ά λ ῳ ἴ ο υ λ ο ς,
vel: καὶ γάρ ἐ μ ο ῖ ς τοπάροιθ' ἐ π ε ν ή ν ο θ ε χ ν ο ῦ ς ἐ π ὶ μ ά λ ο ι ς,
ὡς κισσὸς ποτὶ πρέμνον, —

vid. de ἐπενήνοθεν *Herrmannum*, d. em. Gr. gr. p. 284. Quae ut scribi potuissent a poëta, nunc tamen repudianda sunt omnia, quia, una litera mutata, facili verborum transpositione id ipsum consequimur. Scribe:

καὶ γάρ ἐμοὶ τοπάροιθεν ἐπάνθεεν ἁδύ τι κάλλος,
χαῖται δ' οἷα σέλινα περὶ κροτάφοισι κέχυντο,
ὡς κισσὸς ποτὶ πρέμνον, ἐμὰν δ' ἐπύκασδο ν ὑπάναν.

Neque TE offendat duplex, quae adesse videtur, comparatio: nam verba οἷα σέλινα non ad totam sententiam: κέχυντο περὶ κροτάφοις, pertinent, sed unice ad nomen χαῖται, et χαῖται οἷα σέλινα sunt χαῖται

οὐλόταται, *cincinnuli molliter crispati.* — Locus non minus elegans est vv. 26. sq. et ipse leviter corruptus:

> τὸ στόμα καὶ πακτᾶς γλυκερώτερον· ἐκ στομάτων δὲ
> ἔῤῥεέ μοι φωνὰ γλυκερωτέρα ἢ μελικήρω.

Quod *Valkenarius* conjecit πακτᾶς ἀπαλώτερον, verum esse potest, si ductus vulgatae plane non spectandi sunt. Inde tamen facile elici posset simillimum τρυφερώτερον, quod solemni errore ΤΑΥΦΕΡ. scriptum, facile adulterari potuit, cf. ad Id. XXV. 225.; aut etiam γλαγερώτερον, non quidem de *lacteo colore*, sed de *lactea* illa *teneritate.* In fine alterius versus, vel contra *Schaeferi* gravissimum judicium ad Greg. Cor. p. 89. legendum puto ἢ μέλι κήρω, i. e. ἢ μέλι ῥεῖ ἐκ κήρου, quod sic demum eleganter concinit cum praecedente ἐκ στομάτων ἔῤῥεε φωνά. Sequitur v. 28.

> ἁδὺ δέ μοι τὸ μέλισμα, καὶ ἢν σύριγγι μελίσδω,
> κἢν αὐλῷ λαλέω, κἢν δώνακι, κἢν πλαγιαύλῳ.

Insolens mihi videtur λαλεῖν αὐλῷ, δώνακι etc. ut nihil dicam de tribus parum eleganter sese excipientibus syllabis λω λα λε. Latinorum *tibia dicere carmen* non videtur sufficere ad defendendum illud λαλεῖν: neque enim quisquam dixit *loqui tibia.* Nisi fallor legendum est:

> κἢν αὐλῷ κελαδέω, κἢν δ. κ. πλ.

quod facile vides, cur corruptum sit. Versum 31. optime emendavit *Toupius.* Probandus etiam *Brunckius*, qui v. 30. dedit καὶ πᾶσαί με καλὸν κατὰ τὤρεα φ. γ. modo etiam v. 33. dedisset eadem mensura:

> ὡς ὁ καλὸς Διόνυσος ἐπ' ἄγκεσι πόρτιν ἔλαυνεν.

Nam si verum est, quod de minus usitata in thesi productione primae in καλός monui, articulus hic supplendus erat. Praeterea praesens ἐλαύνει, quod vulgo edebatur, neque sequentibus convenit, neque naturae rei.

Sequitur v. 34.

οὐκ ἔγνω δ', ὅτι Κύπρις ἐπ' ἀνέρι μήνατο βούτᾳ,
καὶ Φρυγίης ἐνόμευσεν ἐν ὤρεσιν· αὐτὸν Ἄδωνιν
ἐν δρυμοῖσι φίλασε, κ. ε. δρ. ε.

Suspectum mihi *καί* in medio horum versuum. Ferrem illud, si sequeretur tale quid: *καὶ αὐτὰ ἐνόμευσεν*, aut: *καὶ σύν οἱ ἐνόμευσεν.* — Mox in *αὐτόν* jam alii haeserunt. Prius fortasse sic corrigi posset:

οὐκ ἔγνω δ', ὅτι Κύπρις ἐπ' ἀνέρι μήνατο βώτᾳ,
τῷ Φρυγίοις ἐνόμευσεν ἐν ὤρεσιν, —

ut fere Nonn. Dion. XV. 210.

εἴκελος Ἀγχίσῃ ῥοδοειδέϊ, τοῦ ποτὲ Κύπρις
ἀργεννὴν ἐνόμευεν ὀρεσσινόμων στίχα ταύρων,
κεστὸν ἐλαφρίζουσα βοοσσόον.

Sed totus locus optime coiret, in hunc modum scriptus:

οὐκ ἔγνω δ', ὅτι Κύπρις ἐπ' ἀνέρι μήνατο βώτᾳ,
ὃς Φρυγίοις ἐνόμευσεν ἐν ὤρεσιν, ὅττι δ' Ἄδωνιν
ἐν δρυμοῖσι φίλασε, κ. —

Quod dedi *ὅττι δ' Ἀδ.* propter praecedens *ὅτι Κύπρ.* habet, quo se commendet; hoc si nolueris, *Wassenbergii καὶ τὸν Ἀδ.* admittere debebis.

Versu 37. optima est lectio: *οὐ βωκόλος, ἔντε Σελάνα* etc. a nemine sollicitanda.

Superest locus difficillimus hujus carminis, postremi duo versus 44. sq. Editur:

μηκέτι μηδὲ σύ, Κύπρι, τὸν ἀδέα μήτε κατ' ἄστυ,
μήτ' ἐν ὄρει φιλέοις, μώνη δ' ἀνὰ νύκτα καθεύδοις.

Verba *τὸν ἀδέα* jam supra ad v. 8. tetigimus, ut facile in hoc loco corruptissima. Interpretatio, aut emendatio horum verborum pen-

det a diverso sensu, quo Veneris, quod praecedit, nomen accipitur. Qui vocat. Κύπρι de Dea proprie sumunt, illi τὸν ἀδέα ad Adonidem referunt: *dulcem tuum amasium*, vertit *Brunckius*. At ego primum de hac elliptica Adonidis notatione quam maxime dubito, et inprimis in hoc eleganti carmine. Hoc si poëta volebat, quanto elegantius scribere poterat:

μηκέτι μηδὲ σύ, Κύπρι, τὸν ἀνέρα μήτε κατ' ἄστυ,
μήτ' ἐν ὄρει φιλέοις, —

ut v. 34. dixit; aut adeo, posita rariori forma, quam supra ad Id. XV. v. ult. vidimus:

μηκέτι, μηκέτι, Κύπρις, Ἄδωνά συ μήτε κατ' ἄστυ —

Sed ita verba quidem emendantur; sensus vero laborat non minus, quam ante. Plane enim jejunum est, nolle eum, ut Venus amplius ullo in loco amet Adonidem, qui mortuus est, et ab ipsa ploratur, cf. v. 36. Neque enim hic ad Adoniorum pompam, ut volunt, respiciendum; sed si de Adonidis amoribus sermo est, ad viventem illi referendi. Sic rursus videant, quomodo illud κατ' ἄστυ conveniat. Has circa sensum difficultates evitant, qui vocat. Κύπρι improprie de Eunica dictum existimant. Quid autem hoc sensu in verbis desideretur, et quam artificiosa, et propter id ipsum, difficiliori emendatione opus sit, optime acuta *Jacobsii* conjectura docet, Praef. ad B.p. XXVI. Poterat tamen ille paulo facilius fortasse etiam sic:

μηκέτι μηδὲ σύ, Κύπρι νέα, τινὰ μήτε κατ' ἄστυ,
μήτ' ἐν ὄρει φιλέοις, μώνα δ' ἀνὰ νύκτα καθεύδοις.

unde vulgatum facile oriri potuit, si per errorem scriptum erat τινὰ νέα, ordine inverso. Sed vel in transpositis literis difficultas pro hoc loco nimia inest. Debebit itaque vocat. quidem Κύπρι proprie accipi; in reliquis autem imprecatio inesse, non in Venerem et ejus amores, sed in Eunicam jacta. In hunc sensum proximum fuerit:

μηκέτι μηδὲ τύ, Κύπρι, τὸν ἅδε γα, μήτε κατ' ἄστυ,
μήτ' ἐν ὄρει ἐ φιλέοις· μώνα δ' ἀνὰ νύκτα καθεύδοι.

„Neque amplius tu, o Venus, nec in urbe nec in montibus, eum ames et probes, *quem illa amat* et mihi praefert; sed illa sola dormiat," i. e. nullum ei, quem cupiat, amatorem unquam concede. Eodem sensu scribi etiam posset τὸν ἅδ' ἁ, ut ἅδ' ἁ et ἁδέα confusa in Id. I. 65. Sed potuit etiam tale quid a poëta scribi:

μηκέτι μηδὲ τὺ, Κύπρι, οἱ ἁδέα, μήτε κατ' ἄστυ,
μήτ' ἐν ὄρει ἐ Φιλέοις, μώνα δ' ἀνὰ νύκτα καθεύδοι.

„Ne amplius, *ei*, i. e. Eunicae, *propitia*, tu, o Venus, tuo eam favore prosequaris; sed etc." In qua verborum structura neque hoc absonum esset: Κύπρι πανίλαε, μ. Et facile illud ἐ ante Φιλέοις, contracte legendum, exterminari potuit. Vel denique, vide, an praestet talis conatus:

μηκέτι μηδὲ τὺ, Κύπρι, μιν, ἁδέα, μήτε κατ' ἄστυ,
μήτ' ἐν ὄρει Φιλέοις, μώνα δ' ἀνὰ νύκτα καθεύδοι.

ut μίν ad Eunicam pertineat, et Κύπρι ἁδέα, dor pro ἀΐδα, jungatur. Qui de accusat. adjectivi ad puellam referendi, veluti: Κύπρις, ἀνηλέα vel ἀπηνέα, ut Id. XXIII. 48. fortasse cogitet, eum articuli defectus a tali tentamine avocare debet. Judicium jam penes TE esto, VIR ILLURTRIS. Caeterum μώνα scripsi, quia equidem *Brunckio* non magis intelligo, cur illud *Valkenarius* damnet. Doceant nos *Hermanni* et *Schaeferi*!

Quod Piscatorum nomen prae se fert, Id. XXI. ex corruptissimis est, ut et nos sensimus, et diu observavit *Jacobsius*, Praef. ad B. p. XXVII. sqq egregie de eo emendando meritus. Sed miror, ejus acumen subterfugisse leve vitium, quod v. 8. obsidet. Nexus verborum hic est:

— — κεῖντο γέροντες,
στρωσάμενοι βρύον αὖον ὑπὸ πλεκταῖς καλύβαισιν,
κεκλιμένοι τοίχῳ τῷ φυλλίνῳ.

Verba κεκλιμένοι τοίχῳ recte sese haberent, si illi, ad tugurii parietem reclinati, *stantes* dormivissent, cf. Id. XXIII. 49. neque vero

id, quod de foliis dicitur, ad πλεκτὰς καλύβας referendum, sed ad βρύον. Jacent in foliis, ut infra v. 35. alter dicitur κείμενος ἐν φύλλοις. Igitur legendum:

κεκλιμένοι κοίτῳ τῷ φυλλίνῳ.

Vides, literas syllabarum initiales permutatas esse. Vocabulum legitur in versu, ut videtur supposititio, quem Cod. Vat. Id. XXIV. inter vv. 50. et 51. exhibet. Alio modo erratum circa hoc vocab. in Nonn. Dion. XXXIII. 278.

καί τις ἀερσιπόδης ἐλέφας παρὰ γείτονι τοίχῳ
ὄρθιον ὕπνον ἴαυεν, ὑπὸ δρυῒ νῶτον ἐρείσας.

nullum τεῖχον elephas, ad quercum reclinatus, habere poterat; sed legend. παρὰ γείτονι τείχει: erat enim ante urbis moenia. Idem voc. in paraphrasi Ioan. C. VI. v. 10. videtur in mendo cubare, permutandum cum γείτονι χόρτῳ. Evangelista certe dixit: ἦν δὲ χόρτος πολὺς ἐν τῷ τόπῳ. — Versu 10. fortasse scribendum: τὰ φυκιόεντα τε λήδεα, terminatione per synizesin legenda; sed vereor, ne non sanum sit hoc vocabulum. Versu 15. sequitur:

οὐδεὶς δ' οὐ χύτραν εἶχ', οὐ κύνα· πάντα περισσὰ
πάντ' ἐδόκει τήνας ἄγρας· πενία σφιν ἑταίρα.

Canem tantum non omnes a piscatoribus nostris abesse voluerunt. Equidem illum facile tolerarem, si proverbiali se locutione et librorum auctoritate defenderet. Codd. habent οὐκ ἴνα, aut οὐκίνα, οὐχ ἴνα, et mox τήνοις. Critici mira tentarunt. Sensus esset commodus, mutatio facilis, si scriberetur:

οὐδεὶς δ' οὐ χύτραν εἶχ', οὐ κνῦ· πάντα περισσά,
πάντ' ἐδόκει τήνοις· ἄγρας πενία 'στὶν ἑταίρα.

Hesych. κνῦ, τὸ ἐλάχιστον, cf. eundem in γρῦ, quod idem est. Hoc vocabulum optime convenit, et tale est, quale a librariis facillime corrumpi potuit. Postrema continent locum communem: *Venationis, s. piscationis comes paupertas est.* Dorismum in ἐστίν nemo in ejusmodi loco necessarium putabit, cf. v. 33. — Versus sqq. 17. 18. rursus laborant:

οὐδεὶς δ' ἐν μέσσῳ γείτων· παντᾶ δὲ παρ' αὐτὰν
θλιβομέναν καλύβαν τρυφερὸν προσένηχε θάλασσα.

Libri variant inter πάντη et πενία, unde πενίᾳ fecerunt. Qui θλιβομέναν retinere cupiunt, debent omnino πενίᾳ legere; absolute enim vereor, ut hoc participium dici possit. Sed vel sic dativus ille male collocatur, et exspectes potius: καλύβαν δὲ παρ' αὐτὰν, θλιβομέναν πενίᾳ, etc. Mox τρυφερὸν certatim explicant VV. DD. cum emendare debuissent. Falsum est, nisi ironice accipias; id autem parum probabile. Poëta non laudare vult, sed extenuare; non amoenitatem habitationis enarrare, sed tristitiam, τὸ ἔρημον καὶ ἀπάνθρωπον. Quare legendum suspicor:

παντᾶ δὲ παρ' αὐτὰν
κ λ υ ζ ο μ έ ν α καλύβαν κ ρ υ ε ρ ὸ ν ποτένηχε θάλασσα.

De infelici piscatorum vita Oppian. Hal. I. 38. sq.

— αἰεὶ κρυερῷ τε καὶ ἄσχετα μαργαίνοντι
ὕδατι συμφορέονται, ὃ καὶ γαίηθεν ἰδέσθαι
δεῖμα φέρει, —

Verbum προσένηχε pro προσενήχετο, defendi debet Homerico νῆχε, vid. Odyss. V. 399. 439. VII. 28. Optabile tamen esset verbum gravius. Mox v. 21. σφετέραις φρέσιν ἤρεθον ᾠδάν poëtica inversione dici putem pro σφετέρας φρένας ἤρεθον ᾠδᾷ, nisi hoc ipsum scribendum. In Moschi fr. V. 2. similiter est: τὰν φρένα τὰν δειλὰν ἐρεθίζομαι. Versu seq. qui imperfectum ψεύδοντο volunt, debent scribere:

ψεύδοντ', ὦ φίλε, πάντες, ὅσοι τὰς νύκτας ἔφασκον. —

Sed recte etiam ψεύδονται et ἔφασκον jungi possunt: pergunt enim *mentiri*, qui hoc *dixerunt*, quamdiu non refutantur. Versus 25. sq. sic scribo et distinguo:

μὴ λαθόμαν, τί τὸ χρῆμα; χρόνον ταὶ νύκτες ἔχοντι;
B. μὴ, 'σ φ α λ ί ω ν, μέμφῃ τὸ καλὸν θέρος; οὐ γὰρ ὁ καιρὸς
αὐτομάτως παρέβα τὸν ἑὸν δρόμον.

Verba μὴ λαθόμην, si per se interrogationem faciunt, nullum habent sensum. Germanice esset: *Hab' ich vergessen, was das ist?* In altera interrogatione non video, quem sensum δὲ post χρόνον habeat. Mox αὐτομάτως suo loco tam egregie dicitur, ut illud minime transponendum. Sed pro interrogativo μὴ μέμφῃ, scribi etiam posset vetandi sensu: μὴ — μ έ μ ψ ῃ —. Versu 32. non ferendum νικάξῃ, sensu passivo; sed insistendum *Scaligeri* vestigiis, et scribendum:

εὖ γὰρ ἂν εἰκάζῃς κατὰ τὸν νόον· οὗτος ἄριστος
ἐστὶν ὀνειροκρίτας, ὁ διδάσκαλός ἐστι παρ' ᾧ νοῦς.

Apte haec cum antecedd. cohaerent, vv 29. 30. ἆρ' ἔμαθες κρίνειν πόκ' ἐνύπνια; οὔ σε θέλω τὦμῶ φαντάσματος ἦμεν ἄμοιρον· εὖ γὰρ ἂν εἰκάζῃς κατὰ τὸν νόον, etc. Versu 36. unice probo *Reiskii* conjecturam ᾀόνος ἐν ψάμμῳ. Mox pessime corruptus est v. 38. vix sine melioribus Codd. restituendus. Tentabam aliquando:

B. λέγε μοι ποκα νυκτὸς
ὄψιν, χ᾽ ὅττι σοι ἔσθ᾽, ὃ λέγει, μάνυσον ἑταίρῳ.

et indica amico, quid sit, quod illa (visio) dicat et portendat. Vel:

—, χ᾽ ὅττι σοι ἔσθ᾽, ὃ σε δεῖ μανύεν ἑταίρῳ.

aut adeo: ὃ θέλεις μανύεν ἑτ. et ne ἐθέλεις necessarium putetur, cf. v. 30. *et dic, quid sit, quod amico indicare aut debeas, aut velis.* Vel:

λέγε μοί ποκα νυκτὸς
ὄψιν, ἅ τ' ἦς, σεῦ ἃ δεῖ σε λόγῳ μανύεν ἑταίρῳ.

dic mibi visionem nocturnam, et quid id fuerit, quod verbis indicare debeas amico tuo. Vel denique:

λέγε μοί ποκα νυκτὸς
ὄψιν· ἃ γάρ τις ἐσεῖδε, ἓ δεῖ μανύεν ἑταίρῳ.

nam quae quis vidit, amico debet indicare. Haec certe vulgatis non sunt deteriora, Codicum vero lectioni: τά τις ἔσσεο δὲ λέγει μάνυεν, haud paulo propiora. In vulgatis summus est languor, et positio part. δὲ aperte vitiosa. Sequitur locus non minus impeditus v. 50. sqq. Editur:

εἶθ' ὑπομιμνάσκων τῶ τραύματος, ἆρ' ἐμὲ νύξεις;
καὶ νύξῃ χαλεπῶς. καὶ οὐ φεύγοντος ἔτεινα.
ἤνυσ' ἰδὼν τὸν ἄεθλον.

In his *Jacobsius*, Praef. ad Bion. p. XXIX. divinitus mihi videtur restituisse verbum ἀ λ ύ σ κ ε ι ν loco νύσσειν, verissime *pungendi* aut *mordendi* notionem una cum *vulnere*, quod praecedebat, alienissimam judicans. Sed π ε ῖ σ μ α non putem in τραῦμα latere; et poterat fortasse eodem sensu tentari: τῶ ῥ ύ μ α τ ο ς, si quidem ῥῦμα et ipsam *attractionem*, et *funem*, ῥυτῆρα: quo quid attrahitur, significat. Sed cum ap. *Aldum* et in Cod. Vat. legatur: καὶ νύξεαι χαλέξας, equidem *Jacobsii* vestigia secutus, tale quid legendum esse suspicor:

εἶθ' ὑπομιμνάσκων τῶ τ ρ ί μ μ α τ ο ς· „ἆρ' ἐμ' ἀ λ ύ ξ ε ῖ ς;"
κ ἤ λ υ ξ', α ἰ ἐ χ ά λ α ξ α, καὶ οὐ φεύγοντος ἔτεινα.
ἤνυσ', ἰ δ ο ῦ, τὸν ἄεθλον.

Tum ego, callidum mihi veteratorem animo repraesentans, memor, quam callida sit ejusmodi bestia, *dicebam apud me: „an me fugies?" et fugisset, si ego remisissem, neque, cum fugere vellet, fortius intendissem.* Voc. τρίμμα cum de callido homine dicatur, non video, cur non eodem modo de bestia dici possit. Si tamen offensioni est, proponerem τῶ ῥ ώ μ α τ ο ς, vocabulum paulo rarius: *memor impetus et vehementiae, qua resistere videbatur bestia.* Mox supplendum est *dicebam*, aut *cogitabam*, ut saepe; exemplum vidimus supra Id. XIV. 21. Versum 51. videor mihi verissime emendasse: καὶ ἤλυξεν (ἄν), εἰ ἐχάλαξα, καὶ οὐκ ἔτεινα. Verba proxime conveniunt cum scriptura Codd. neque amplius offendit aut καὶ in thesi male productum, aut οὐ languidissime ad participium φεύγοντος relatum. Quomodo autem οὐ post εἰ defendendum sit, vide ap. *Hermannum* ad *Vigerum* p. 833. n. 309. Et habet hoc inprimis tum locum, cum sententia affirmativa praecedit, ut in nostro loco: εἰ ἐχάλαξα καὶ οὐκ ἔτεινα: in quam rem plura exempla ad Nonnum collecta nunc non invenio. Productio in αἴ ante ἐχάλαξα habet, quo se defendat, v. 56. si vel ἐ γ ώ ν ibi scribendum. Denique nec in omisso ἄν post ἤλυξεν difficultas inest, quia illud ubique omitti potest. Falsa enim est distinctio, quam

facit *Matthiae*, Gr. gr. §. 508. c. not. 1. et id, quod ibi ponit, locum habet ubique. Ut Lat. verti poterat: *fugisset, si remisissem*, ita licebat etiam: *fugiebat, si remittebam*. Optime convenit lingua Germanica: *Er wäre davon gekommen, wenn ich nachgelassen hätte*; *er kam* wohl (leichtlich) *davon, wenn ich nachliefs*; *er kam davon, wenn ich nachliefs*. Nec desunt exempla omissae ubique particulae; ita Xenoph. hist. gr. II. 3. §. 17. p. 91. ed. *Thiem*. εἰ μὲν τοίνυν ἐξ ἀρχῆς ταῦτα ἐγίγνωσκε, πολέμιος μὲν ἦν, ubi sequentibus demum ἂν additum. Ita sanum puto in Quint. Cal. IV. 301. ἦκα δὲ πάντες ἔμμιον —, εἰ μὴ etc. et Non. Dion. XIII. 30. οὐδὲ — νόσφι πόνων ἀνέβαινεν — εἰ μὴ etc. etsi fortasse ibi tentari posset καί κεν πάντες ἔμ. et hic ν. π. ἂν ἔβαινεν, vel κεν ἔβ. vel ἀνέβη κεν ἐς οὖρ. Cf. eund. Non. Dion. XVI 369. sq. — Versu seq. pro ἰδοῦ dari etiam potuisset, ἑλὼν cum *Jacobsio*, aut ἄγων. Verbum ἀλύξαι habes infra Id. XXIV. 68. etsi scio, ejusmodi auctoritatem nihil fere probare. Sed non possum discedere ab hoc loco, antequam v. 50. denuo examini subjecero. Erunt semper, qui in illo ὑπομιμνάσκων et quicquid illud sequatur, haereant; etsi haec verba in inculta verbositate hominis simplicissimi suam habere videntur defensionem. Nemo facile haereret, si Codd. offerrent:

εἶθ' ὑποδιδράσκοντος ὑφ' ὕδατος, "ἆρ' ἐμ' ἀλυξεῖς;"

cum ille sub aquis fugere conaretur, tum ego: *an fugies*? etc. Tale quid quam maxime sequenti ἀλυξεῖς conveniret. Suppeterent fortasse etiam alia, ut ὑποπιπτέσκοντος, vel ὑποδυνέσκοντος ὑπ' οἴδματος. Sed *fugere* dici poterit de *pisce aureo* non minus hic commode, quam ante v. 44. ὠρέξατο, v. sq. πεπεφύετο, atque adeo καὶ ῥέεν αἷμα. Nolim enim corrigere καὶ τρέσεν οἶδμα, vel ἅμμα, vel ὁρμός pro ὁρμιά, et quae sunt hujusmodi: θαυματοποιοὶ γὰρ οἱ ὄνειροι. Sed paulo gravius laborant, qui sequuntur, versus 47. sqq. ante a nobis praetermissi:

τὸν κάλαμον δ' ὑπὸ τοῦ κινήματος ἀγκύλον εἶχον.
τὼ χέρε τεινόμενος, περὶ κνώδαλον εὗρον ἀγῶνα,
πῶς μὲν ἕλω μέγαν ἰχθὺν ἀφαυροτέροισι σιδάροις.

Primum desidero nexum inter vv. 47. et 48. deinde articulum ante κνώδαλον, denique offendit μέν. Et nexus quidem esset, si pro verbo

εἶχεν participium inveniretur, ut τὸν κάλαμον — ἕλκων, τ. χ. τ. εὗρον ἄγ. Sed articulus non datur; neque tamen praeferenda est lectio altera περικλώμενον, vel περὶ κλώμενον, quam plane non intelligo. Denique v. 49. nisi μέν mutandum in κέν, scribendum certe et distinguendum est:

πῶς μιν ἕλω, μέγαν ἰχθὺν ἀφαυροτέροισι σιδάροις;

Nova difficultas est in vv. 56 — 58.

ἠρέμα δ' αὐτὸν ἐγὼ ἐκ τἀγκίστρῳ ἀπέλυσα,
μή ποτε τῶ στόματος τ' ἀγκίστρια χρυσὸν ἔχοιεν.
καὶ τὸν μὲν πεισμῆρσι κατῆγον ἐπ' ἠπείροιο.

In his versus postremus omnibus modis praeposterus est, ut jam *Brunckius* ex parte ostendit. Sed si vel ante duos praecedentes collocaretur, maneret tamen aperte corruptus. Qui hamo vel tantillum auri abradere timebat, quomodo putari potest, totum aureum piscem per asperam litoris arenam protraxisse! Praeterea toto coelo a lectione Codd. discrepat, et, ut nihil desit, quod repreh ndi possit, vitiosa insuper in quarto pede caesura laborat. His certe incommodis medebitur conjectura haec:

καὶ τὸν μὲν σπεύσας ἀκάλ' ἄγαγον, ἠπειράταν,
ὤμοσα δ', οὐκέτι λοιπὸν ὑπὲρ πελάγευς πόδα θεῖναι,

et illum quidem festinans tacite absportavi, terrae habitatorem factum, loco maris; *ego vero juravi, me non amplius mare aditurum* etc. In quibus festiva latere videtur comparatio piscis in terram delati et piscatoris, mare fugientis. Neque haec multum discrepant a lect. Codd. πιστευσασα καλά γε τεν ἠπείρωτον, ut fere omnes habent. Quod scripsi ἀκαλά, adverbialiter capiendum, eatenus certe aptum, quatenus aliorum cupiditatem timens habebat, cur *tacite* rem ageret. Neque tamen damnarem, si quis praeferret:

καὶ τὸν μέν, σπεύσας, καλὸν ἄγαγον ἠπειράταν,

pulcrum terrae habitatorem. Denique tres postremos hujus Idyllii versus, 65. sqq. praeeunte *Wartono*, in hunc modum ex Aldina correxerim:

εἰ μὴ γὰρ κνώσσων τὺ τὰ χωρία ταῦτα ματεύσεις,
ἐλπὶς τῶν ὕπνων. — ζάτει τὸν σάρκινον ἰχθύν,
μὴ σὺ θάνῃς λιμῷ, καί τοι χρυσέοις ἐν ὀνείροις.

In Id. XXII. si Idyllii nomine tale carmen me vocare pateris, VIR ILLUSTRISSIME, offendebamus ad v. 15.

πολὺς δ' ἐξ οὐρανοῦ ὄμβρος
νυκτὸς ἐφερπύσας· παταγεῖ δ' εὐρεῖα θάλασσα, —

Nam pro participio ἐφερπύσας desideratur aut adjectivum, ut fortasse: νυκτὸς ἀφανεροτέρας, aut potius verbum, ne illud ad nominativum ὄμβρος subintelligendum sit. Sensui accommodatissimum esset:

πολὺς δ' ἐξ οὐρανοῦ ὄμβρος
νυκτὸς ἄφαρ κέχυται· παταγεῖ δ' εὐρεῖα θάλασσα,

adv. ἄφαρ in hoc ipso carmine v. 203. recurrit; sed pro κέχυται, si quis ductus lectionis vulgatae magis spectaret, quam facilem sensum, exsculpi fortasse posset βλύζει, πίπτει, et si quid est hujusmodi verborum. Paulo post v. 19.

αἶψα δ' ἀπολήγοντ' ἄνεμοι, λιπαρὰ δὲ γαλάνα —

lis est, utrum scribendum sit ἀπολλήγοντ' ἄν. ut ἀπολλήξῃς ex auctoritate Aristarchi in Hom. Il. XV. 31. edunt, an ἀποληγ. ut μεταλήγων in Apoll. Rhod. I. 1271. circumfertur. Equidem omnino priorem scripturam praeferrem; sed praeterea haereo non nihil in forma medii ἀπολήγοντο, parum certe usitata. Et poterat poëta, evitata omni, quae nunc inest, ambiguitate, scribere facili negotio:

αἶψα δ' ἄρ' αὖ λήγοντ' ἄνεμοι, λιπαρά τε γαλάνα
ἀμπέλαγος· —

Cf. v. 21. Neque omittendum est in hac disquisitione, versu 121. ἀπαλεγόνος edi. Qui in ἀπολήγοντο, propter productionem haerebam, non possum intactum relinquere v. 69.

ἐγγύς. ὁρᾷς οὐ σύ μ'; Ἄμυκος κεκλήσεθ' ὁ πύκτης.

Scio, legendum hoc esse, quasi scriptum sit σύ μ μ' Ἀμ. Sed mihi etiam positio negationis displicet. Vide, an scribendum sit:

ἐγγύς. ὁρᾷς σύ μ', ἢ οὐκ; Ἄμυκος κεκλήσεθ' ὁ πύκτης.

Ne in οὐκ ante distinctionem haereas, cf. Id. IV. 2. οὐκ. ἀλλ' Αἴγωνος. Plat. Eutyphr. sq. οὐκ· ἀλλ' οὕτω etc. Xenoph. Symp. VI. 2. οὐκ· ἀλλ' ὅταν etc. Falli enim videtur *Buttmannus*, Gr. gr. §. 29. fin. cum in Xenoph. οὒ scribi vult. Si recte video, οὒ scribitur ante plenam interpunctionem, ubi plane nihil sequitur, quod cohaereat, v. c. si cujus oratio prorsus finitur. Sed si, quae sequuntur, oppositione tantum distinguuntur, praeterea vero cohaerent, ut hic, ubi Amycus orationem suam continuat, rectum est οὐκ. — Versu 112. edidit *Harlesius*:

σάρκες δ' αἱ μὲν ἱδρῶτι συνίζανον· ἐκ μεγάλου δὲ
αἶψ' ὀλίγος γένετ' ἀνδρός·

alii *Reiskii* conjecturam σ. δ' οἱ μὲν ἱδρ. receperunt, parum feliciter. Legendum suspicor:

σάρκες μὲν οἱ ἱδρῶτι συνίζανον· —

Versu 116. importunus est hiatus in his:

εἰπὲ, θεά· σὺ γὰρ οἶσθα· ἐγὼ δ' ἑτέρων ὑποφήτης —

atqui scripsit, puto, poëta: οἶδας ἐγ. sed librarius receptam in prosa oratione formam male immiscuit. Productionem in verbis ὄγε ῥέξαι, v. 118. quod attinet, eam jam alibi probavimus, vid. ad Id. XV. 128. XXVII. 48. Sed productioni, quae est v. 190. egregie medetur *Reiskii* emendatio.

Caeterum ut passim Nonnus in Dionyss. haec Theocritea carmina a se lecta esse, prodidit, ita inprimis ex hoc carmine videtur profecisse. Ita illud ἔστη δὲ πληγαῖς μεθύων, v. 98. *Cunaeus* a Nonno expressum observavit, XXXVII. 540.

ὕπτιος αὐτοκύλιστος ἐρείσατο νῶτα κονίῃ,
θυμολιπής, μεθύοντι παναίκελος.

Mox, quod noster v. 100. dixit:

ὄμματα δ' οἰδήσαντος ἀπεστείνωτο προσώπου,

id expressit Nonnus, l. c. v. 531. sqq. loco difficili, et nisi fallor, in hunc modum corrigendo:

καὶ γενύων πέλε δῶπος· ὑπὸ τρωσμῶν δὲ προσώπου
εὐρυτέρου γεγαῶτος, ἐκυμαίνοντο παρειαί,
ὀφθαλμοὶ δ' ἑκάτερθεν ἐκοιλαίνοντο προσώπῳ.

editur ἐπὶ θρωσμῷ, quod non ridere, sed emendare debebat *Cunaeus*, p. 154. et mox ὀφθαλμόν et προσώπου. Paulo ante v. 529. scribe ἀκροτάτην περὶ χεῖρα, et paulo post, v. 538. ἀμφὶ γναθμὸν ἔτυψεν, non vero id, quod *Cunaeus* volebat. Semel ad Nonnum meum delatus, addo locum, quem mihi in mentem revocat exitus versus 125. ap. nostrum, κροτάφοιο χανόντος, etsi hic Nonnus nihil imitatus est. Est ille in ed. Han. p. 134. v. 4. ubi δυσηλεγέος δὲ χανόντος pro vulgato θανόντος tentabat *Cunaeus*. Locus est memorabilis, propter aperte confusa duarum, ut videtur, paginarum initia, qualem confusionem alibi *Scaliger* monstravit. Etenim post versum 28. paginae 132. collocari debet versus 8. pag. 134. cum undecim versibus proxime sequentibus; post hos ponendus v. 29. pag. 132. rursus cum undecim proximis; illos deinde excipit versus 20. pag. 134. et qui ordine eum sequuntur. Causam transpositionis, si quem latet, demonstrabit mea Dionysiacorum Nonni editio, cujus primum volumen jam diu impressum esse debebat. In illo autem loco, v. 4. p. 134. legendum est:

καὶ στόμα πικρὸν ἔλυσε· δυσηλεγέος δὲ δράκοντος
φοίνιος ὠμοβόρου πυλεὼν εὐρύνετο λαιμοῦ.

Ride modo, ILLUSTRISSIME OUVAROFF, me ubique meum hunc Nonnum crepare; scimus, et TIBI perquam familiare hoc nomen esse, mox amplo et eleganti opere egregie a TE ornandum et illustrandum.

Sed redeo in viam, quamquam nonnihil sollicitus de successu felici in carmine difficillimo, in quod jam post facillimum incidimus.

Mirum enim, quantum, laborat Id. XXIII. carmen, si pretium spectas, plane non contemnendum, imo, si quid ego in his video, Idyllio XII. longe simillimum. Statim ab initio difficilis sese locus offert v. 10. sq.

> οἷα δὲ θὴρ ὑλαῖος ὑποπτεύησι κυναγώς,
> οὕτω πάντ' ἐποίει ποτὶ τὸν βροτόν· —

Formam ὑποπτεύησι pro ὑποπτεύει dictam, aut ὑποπτεύῃσι pro ὑποπτεύῃ scribendum, dubitanter proponit *Schneiderus* in Lex. Gr. Videtur itaque aut de indicativo formae Aeolicae, ὑποπτεύημι, aut de conjunctivo vulgaris cogitasse. Vide de ejusmodi formis Aeolicis, Greg. Cor. p. 619. sq. ed. *Schaef.* Cf. ad Id. XXVII. 54. et ad Bion. Id. I. 84. tutius tamen putem ὑποπτεύῃσι, modo conjunctivo. Et conjunctivus in hac comparatione post οἷα eodem jure ponitur, quo in similibus ap. Homerum post ὡς ὅτε aut ἠΰτε poni solet. Cf. *Hermannum* in noviss. *Vigeri* ed. p. 911. Qui haec omnia repudiaret, posset fortasse, re parum mutata, tentare:

> οἷα δὲ θῆρ' ὑλαῖον ὑποπτεύουσι κυναγοί, —

Verum multo major difficultas obsidet versum seq. in quo verba πάντ' ἐποίει longe sunt languidissima; illud vero, quod sequitur, ποτὶ τὸν βροτόν vix ullum sensum admittit. Quam inepte enim amatorem pueri vocat τὸν βροτόν! Quod vocabulum non video, qui sanum esse possit, nisi tali quodam nexu:

> οἷα δὲ θὴρ ὑλαῖος ὑποπτεύῃσι κυναγώς,
> οὕτω ὑπόπτευεν πάντα βροτόν·

vel ὑπόπτευεν πάνθ' ὃς βροτόν, aut, πάντας βροτός, aut, ὑπόπτευεν ποκα τὸς βροτός, aut denique, ὑπόπτευεν ποτιδὼν βροτόν: *ut fera bestia venatores timet, ita ille omnes mortales,* si quem spectaret, *timebat.* Germ. diceres: *Wie ein aufgeschrecktes Wild sah er jeden Menschen mit wildem scheuen Blick an.* Repetitio verbi ὑποπτεύειν eo est probabilior, quo saepius talia alibi repetuntur. — In iis, quae sequuntur v. 12.

> —, καὶ κῶρας δεινὸν βλέπων, εἶχεν ἀνάγκαν,

13 "

aut, *Heinsio* praeeunte, corrigendum: εἶδε δ' ἀνάγκαν, aut videndum, an verba in unam sententiam conjungi possint, veluti:

—, καὶ κῶραι δεινὸν βλέπεν εἶχον ἀνάγκαν,

i. e. εἶχον ἀνάγκαν, δεινὸν βλέπειν, aut latet fortasse adjectivum compositum, veluti: δεινοβλεπέ' εἶχον ἀνάγκαν, ut ἀβλεπὴς est, aut κῶραι δεινόβλεπες εἶδον ἀν. ut κατώβλεψ ap. Athen. IX. 76. T. III. p. 515. ed. *Schw.* — Versu 13. sq. lego et distinguo:

φεῦγε δ' ἄπο χρὼς
ὕβριν τᾶς ὀργᾶς περιειμένον.

Supple αὐτὸν, περιειμένον ὕβριν τ. ὀργ. Paulo post versu 30.

λευκὸν τὸ κρίνον ἐστὶ, μαραίνεται, ἁνίκα πίπτῃ,

copulam deesse, vel vicini versus ostendunt. Fortasse ἐστί e praecedenti versu irrepsit, cum poëta dedisset:

λευκὸν τὸ κρίνον, ἀλλὰ μαραίνεται, ἁνίκα πίπτῃ,

ut hac particula usus est v. 32. Audacius esset:

λευκὸν τὸ κρίνον ἐστὶ, μαρανθὲν δ' αὐτίκα πίπτει.

Locum pulcherrimum a v. 40. sqq. etsi sine Codd. salvum praestare vix licuerit, vide saltem, VIR ILLUSTRIS, an ex Codd. talem afferri cupias, qualem equidem mihi fingo scriptum:

τὸ δ' αὖ πύματόν με φίλασον,
καὶ νεκρῷ χάρισαι τὰ σὰ χείλεα· μή με φοβαθῇς,
οὐ δύναμ' ἀντιφιλεῖν σε διαλλάξ, αἴ με φιλασεῖς.

Libri fere conspirant in: οὐ δύναμαι εἴν σε διαλλάξεις με φιλάσαις, et fieri potuit, ut postremae literae in δύναμαι priores in ἀντιφιλεῖν absorberent. Adverbium διαλλάξ etsi auctoritate destituitur, eadem tamen analogia defenditur, qua ἐναλλάξ. — Paulo post v. 44. scribitur:

κἢν ἀπίῃς, τόδε μοι τρὶς ἐπάυσον· „ὦ φίλε, κεῖσαι."

in quibus suspectam habeo mensuram in duabus syllabis mediis verbi ἐπάϋσον. Quantum scio, illud υ in hoc verbo non magis cor-

ripitur, quam in λῦσον, id est, nunquam. Praecedens vero α rursus non facile productum invenias. Mensuram autem alternatim in his duabus syllabis immutatam existimare, ut supra εἶος vidimus pro ἕως p. 79. id vereor, ne ab hujusmodi formis plane sit alienum. Quare, extrusa litera ὦ, legendum videtur:

κἢν ἀπίῃς, τόδε μοι τρὶς ἐπάυσον· "φίλε, κεῖσαι·"

ut *duae* mediae producantur. Etenim productionem vocalis α in hoc verbo, si vel maxime exempla desint, tuebitur simillimus usus in verbo ἀμάω, cf. ad Id. X. 7. — Versu 46. etsi olim aliter sentiebam, nunc tamen fere malim τό σοι τοίχοισι χαράξω, nam ad *parietes* stabat, et ita sequitur ἐπὶ τοίχῳ v. 49. — Versu 48. displicet hiatus in verbis ἀπηνέα εἶχεν ἑταῖρον, quem sede sua excusare nolim. Poterat poëta: ἀπηνέος ἔλλαχ' ἑταίρου; sed, nisi prorsus fallor, dedit:

„τοῦτον Ἔρως ἔκτεινεν, — ὁδοιπόρε, μὴ παροδεύσῃς,
„ἀλλὰ στὰς, τόδε λέξον, — ἀπηνέα δ' εἶχεν ἑταῖρον."

Ut versu 45. δέ erat post καλός, quia cohaerent: φίλε κεῖσαι· καλὸς δέ μοι ὤλεθ' ἑταῖρος, ita plane hic cohaerent, ut versum adeo faciant:

τοῦτον Ἔρως ἔκτεινεν, ἀπηνέα δ' εἶχεν ἑταῖρον,

particula omnino necessaria. — Versu 55. ne TE poeniteat, VIR ILLUSTRISSIME, emendationis longae certissimae οὐ κλαῦσεν ἑὸν φόνον, quae et mihi sese obtulit; quamquam vulgatam eleganter explicari posse, sunt, qui doceant. Quid enim non possit! Sed multo minus certa res est in sqq. eod. v. 55.

—, οὐ κλαῦσεν ἑὸν φόνον· ἀλλ' ἐπὶ νεκρῷ
εἵματα πάντ' ἐμίανεν ἐφαβικά· βαῖνε δ' ἐς ἄθλως
γυμναστῶν, καὶ τῆλε φίλων ἐπεμαίετο λουτρῶν.

Quod hic de vestimentis est, sensum fortasse haberet, si superstitio extitisset, qua, qui vestibus forte suis ejusmodi mortuum tetigisset, μίασμα sibi contraxisse putatus esset. Hoc tamen, si vel probari

possit, cum antecedentibus ὀ κλαῦσεν ἐὸν φόνον aptam oppositionem minime facit. Neque voro profeceris, si, respiciens ad vv. 39. 40. eum dicas per ludibrium mortuo circumdedisse vestes suas: nam illas moribundi preces non audivit, neque de ludibrio quidquam dicitur. Ita de sinceritate vocabuli ἅματα quam maxime dubitandum. Nam quae ab aliis interpretibus ad hanc lectionem explicandam excogitata sunt, ita scis comparata esse, ut ne refutationem quidem mereantur. Iam vide, an TIBI etiamnum probetur conjectura, quam inter legendum TIBI facile probabam:

— ὀ κλαῦσεν ἐὸν φόνον· ἀλλ' ἐπὶ νεκρῷ
ἄ σ μ α τ α πάντ' ἐ λ ί γ α ι ν ε ν ἐφαβικά· βαῖνε δ' ἐς ἄθλως
γυμναστῶν, καὶ τῆλε φίλων ἐπεμαίετο λουτρῶν.

conspecto cadavere, non commotus est, neque flevit; sed ante mortuum cecinit omnia sua juvenilia carmina, et contulit sese *laetus* in gymnasium et ad balnea. Sensus, puto, satis et commodus est et elegans; mutatio, si ductus spectas, paene nulla. Versu 57. alius fortasse malit τῇδε pro τῆλε, i. e. τᾶδε. Sequitur locus non minus corruptus a v. 58.

καὶ ποτὶ τὸν θεὸν ἦνθε, τὸν ὕβρισε· λαϊνέας δὲ
ἵστατ' ἐπὶ κρηπῖδος Ἔρως, ὑδάτων ἐφύπερθεν.
ἅλατο καὶ τὤγαλμα, κακὸν δ' ἔκτεινεν ἔφαβον.

Hic nisi versus, unus aut plures, desunt, sanum esse non potest illud mirum: ἅλατο καὶ τὤγαλμα. Sed non omittendum est, in Aldd. nomine Ἔρως omisso, legi: κρηπῖδος ἐς ὑδάτωδ' ἐφύπερθεν, unde, nisi fallor, refingendum est:

καὶ ποτὶ τὸν θεὸν ἦνθε, τὸν ὕβρισε· λαϊνέας δὲ
ἵστατ' ἐπὶ κρηπῖδος ἐ φ' ὕ δ α τ ι· τ ῶ δ' ἐφύπερθεν
ἅλτο κ ά τ ω τὤγαλμα, κακὸν δ' ἔκτεινεν ἔφαβον.

In balneo venit ad illum Deum, quem laeserat; stabat enim in basi lapidea *ad aquas*. *Et desiluit statua, quae super aquis stabat*, i. e. altius aquis, et necavit juvenem. Quam facile haec in vulgatum corrumpi

potuerint, vides: excidit forte TI ante TΩ, et TΩ ante TΩ. Amoris nomen non opus est, ut quem satis describunt verba: ποτὶ τὸν θεὸν ἦνθε, τὸν ὕβριζεν. Caeterum loco adverbii κάτω non multo difficilius foret scribere ἅλτο χαμαί, minus tamen proprie, aut adeo ἅλατ' ἄφαρ τῶγ. ut ἅμα et ἄφαρ confusa sunt Id. XXV. 227. Sed illud, quod supra dedi, sine dubio aptissimum est. Versu seq. 61. non video, quomodo de elegantissima et apertissima *Reiskii* emendatione νᾶμα δ' ἐφ. dubitari possit. Mox in eodem versu legendum puto: ὑπενάχετο φωνά.

In carmine XXIV. passim pulcherrimis versibus, ut 7 — 9. distincto, offendebat nos v. 14.

κυανέαις φρίσσοντας ὑπὸ σπείραισι δράκοντας,

quia non videtur quadrare, quod jungitur, φρίσσειν σπείραις. Recte infra v. 30. est σπείρησιν ἑλισσέσθην, et notum est φρίσσειν de comis, aliisque hujus generis rebus, cf. Id. XXV. 244. Audacius tamen corrigere:

κυανέαις εἱλισσομένους σπείραισι δράκοντας,

vel: κυανέαις φρίσσοντας ὑπαὶ φολίδεσσι δράκοντας,

aut ὑπαὶ λεπίδεσσι δρ. Ita ὑπαὶ δείους editur infra v. 60. ubi fortasse non necessarium propter digamma in δέος, et cognatis formis. Supra Id. XXII. 121. erat ἀπαὶ λαγόνος. In epigrammate Cyziceno, *Jacobsii* Exercitt. T. II. p. 161. Anth. gr. T. I. p. 59. n. 6. diu est, quod legebam:

γηγενέα Πυθῶν', ἀνελιγμένον ἑρπετὸν ὁλκοῖς,

et debebam fortasse γεγενέσιν — ὁλκοῖς, ubi editur Πυθῶνα μεμιγένον, nisi adeo latet:

Γηγενέων, Πυθῶνα, μεμιγμένον ἑρπετὸν ὁλκοῖς,

ut sit Python, *cujus forma e serpentibus Terrae filiorum mixta et composita.* Serpentes enim pedum loco gigantibus erant. Postremum dist. ejusd. epigrammatis scribendum:

Δελφὸν δ' αὖ θήσει τρίποδ' ἔνθεον· ἐκ δὲ δράκων οἱ
πικρὸν ἀποπνεύσει ῥοῖζον, ὀδυρόμενος.

Necessarius nominativus δράκων, additum οἷ ad Apollinem, *cui* exspirat Python, referendum. Similius, non usitatius esset δράκων τῷ π. — In epigr. 2. Cyzicenorum, v. 4. transponendum:

ὄφρα μιν Ἀρκαδίης ἐς πέδον ἆψ ἀγάγα.

Epigr. 3. v. 1. ξυνόμευνον et ego conjeci, cf. simile vitium ep. 7. v. 1. — Epigr. 5. v. 2. legendum:

κουριδίης ἀλόχου λέκτρα μιᾶν' ἐθέλων.

Epigr. 7. v. 5. legendum fortasse:

αὐτίκα δ' ἐκ ταύροιο καθάπτετε δίπλακα σειρήν.

Epigr. 9. fortasse integrum videri posset, in hunc modum scriptum:

Μὴ τρέμε τρηχείησιν ἐπὶ σπείρησι Σιδηροῦς,
Σαλμωνεῖ γενέτη τῷδ' ὑποτασσομένη·
οὔ σ' ἔτι γὰρ δουλώσει ἐν ἕρκεσιν, ἐγγύθι λεύσσων
Νηλέα καὶ Πελίαν τούσδε καθεζομένους.

Poëta alloquitur Tyronem, Salmonei filiam. Si μητέρα ab initio servandum, tentaverim τρηχείαις ἴδετ' ἐν σπείρησι Σιδηροῦς, et v. 3. οὔτι ἐ γὰρ δ. ut verba dicantur ad Tyronis filios, quorum nomina v. ult. cum emphasi posita. In epigr. 10. v. 3. conjiciebam ἦμος ἄρ' εἶθαρ, et v. 5. aut, praeeunte *Jacobsio*, legendum λιπὼν Ἀσωπίδας, Εὔνο', ἀρούρας, aut suppresso Eunoi nomine: Ἀσωπίδος αἶαν ἀρούρας, vel Ἀσωπίδος ἕδρανα κούρας. In epigr. 15. ultimum distichon emendo:

καὶ σὺ πατρὸς φόνον αὐτὸς ἀπήλασας, ἐγγύθεν ἐλθών,
καὶ μύθων ἐσθλῶν μάρτυν ἐπεφράσαο.

i. e. *et bonae famae testimonium tibi excogitasti, comparasti.* — Redeo ad illos serpentum ὁλκοὺς et σπείρας, quod postremum male legitur in ep. ἀδεσπ. 281.

θλῖβε δρακοντείους περιμηκέας, ὄβριμε, σπείρας,

ubi propter Planudeae χεῖρας tentabam γύρους. Onomast. vet. ap. *Hemsterh.* ad Aristoph. Plut. v. 138. *Spirae*, γῦροι. Memini ta-

men, *Hermannum* et *Seidlerum* praeferre δειράς, ut Oppian. Cyn. II. 243. Orph. Λιθ. 423. et ut *longa colla porrecti saevi dracones* sunt ap. Apulejum VI. 118. p. 406. ed. *Oud.*

Ad Theocritea reversus, emendo v. 17. in quo hiatus mihi displicet:

τοὶ δ' ἐξειλυσθέντες ἐπὶ χθονὶ γαστέρας ἄμφω
αἱμοβόρως ἐκύλιον· —

paulo post cum sequitur v. 20.

ἀλλ' ὅτε δὴ παίδων λιχμώμενοι ἐγγύθεν ἦλθον,

equidem nonnihil haereo in participio λιχμώμενοι, accusativum desiderans, ut fere Id. XXV. 226. de leone: γλώσσῃ δὲ περιλιχμᾶτο γένειον. Si sanum est, respondet Latino: *linguis micantes.* Sed aliquando in mentem venit: κυκλώμενοι, aut ἀνελιγμένοι; verum vide, an ex iisdem elementis fortasse erui debeat:

ἀλλ' ὅτε δὴ παίδων λίκνῳ μὲν οἱ ἐγγύθεν ἦλθον,

aut adeo λικμῷ, quod idem putatur. — Versu 23. notandum illud: ὅπως κακὰ θηρί' ἀνέγνω, ubi ὅπως idem est ac ὡς, *wie er sie sah*, quod non ubique obvium. Poterat ἐπεὶ κ. θ. ἀνέγνω. Sed nihil est mutandum. Ita Nonn. Dionys. XXX. 237.

καὶ θρασὺς ἔτρεμε Βάκχος, ὅπως ἴδε Δηριαδῆος
ὀμφαλὸν ἀστράπτοντα πυριβλήτοιο βοείης.

qui poëta ἐπεὶ ἴδε scribere non poterat. Plane Nonnicum est: δεσμὸς ἀναγκαῖος v. 33. ap. nostrum, ut alia plura in hoc carmine. — Mox, si sanus est versus, quem Vat. Cod. post v 50. exhibet, quod dubito, (quia ejusmodi dispensatrix minus in servos, quam in servas imperium habere poterat,) ille loco certe movendus non est. Sed distinguendum plene post v. 49. ubi heri mandatum finit, quod suis verbis repetit illa mulier:

„ἄνστατε, δμῶες ταλασίφρονες, αὐτὸς ἀυτεῖ!"
ἦ ῥα γυνὴ Φοίνισσα, μύλαις ἔπι κοῖτον ἔχοισα.

etsi sic εἶπε γ. malis. In oratione Alcmenae ad Tiresiam, v. 68. malim:

αἰδόμενός με κρύπτε· καθὼς οὐκ ἔστιν ἀλύξαι —

Versu 71. praeferrem ἀντ απαμείβετο τ. mox v. 75. mihi necessarium videtur καταστρέψουσιν ἀεὶρ. — Versu 99. versio Latina ineptissime habet: *Recedens ad eburneum currum.* Nihil de curru ante fuit: *removit sellam et abiit.* Germ. *Er rückte den Sessel und gieng.* Crassa et pingui Minerva elaboratus nobis videbatur versus 107.

αὐτὰρ ἀοιδὸν ἔθηκε, καὶ ἄμφω χεῖρας ἔπλασσεν
πυξίνᾳ ἐν φόρμιγγι Φιλαμμονίδας Εὔμολπος.

Harl. ἔπλαξε, quod vereor ut a πλάσσω fuerit in usu. Sed nimium est: ἄμφω χεῖρας ἐπλ. Dubito etiam de hac Eumolpi genealogia, etsi Philammonem musica laude inclaruisse scio. Nondum displicet, quod TIBI probabam, ILLUSTRIS OUVAROFF:

αὐτὰρ ἀοιδὸν ἔθηκε, καὶ ἁρμονίαν χερὶ πλέξαι
πυξίνᾳ ἐν φόρμιγγι Φιλαρμονίδας Εὔμολπος.

ἔπλαξαι habet ed. Rom. Infinitivus pendet ab ἔθηκε, quod idem hic est, ac ἐδίδαξεν. Sed posses adeo πλᾶξαι a πλήσσω, i. e. κρούειν, κρέκειν, et pro ἁρμονίαν etiam ἐμμελίαν, si facilius videtur. Ad minimum mutandum illud ἄμφω in adverbium, veluti: καὶ ἠρέμα, vel ἀμφαδά, vel ἄψοφα χεῖρας ἔπλασσεν, — nisi probari potest, illas ἄμφω χεῖρας pertinere ad artificium quoddam citharistarum, ut fortasse illud, quo *inversa cithara* Marsyam Apollo superavit. Sed φιλαρμονίδης cognomentum Eumolpi puto, ut quasi ipsius Harmoniae filii, et omnino pro φιλαρμόνιος, forma audaciori. Geminus est Κάστωρ ἱππαλίδας, v. 127. quae forma non minus rara. — Versu 110. propter v. 112. malim σφάλλοντι τεχνάσμασιν. Mox v. 121. sq. scribe et distingue:

καὶ οἱ ἀαγεῖς
δίφροι, ἐφ' ὧν ἐπέβαινε· χρόνος δέ τ' ἔλυσεν ἱμάντας.

vel χρόνος δ' ἄρ' ἔλυσεν ἱμ. Sed illas particulas junctas vide Id.

XXV. 94. ut saepe. Neque plane damnaverim χρόνῳ δέ τ' ἔλυσεν ἵμ. ut intelligatur Amphitruo, qui *annis provectus* solverit lora equis.

Carmine XXV. 6. recte reprehendunt ὁδοῦ ζαχρεῖον — ὁδίτην; sed fortasse scripsit:

εἴ κεν ὁδοῦ χρήζοντ' ἀπαντήνηταί τις ὁδίτην.

vulgatum oriri poterat, si per errorem forte scriptum χρηονταιαν. Deinde v. 20. verbum πεφύασι mutandum videtur in ἐρέφουσι, si v. 22. ἱερὸν ἁγνόν sanum est. Ferendum illud, si hic aut ἱερὸν ἄλσος, aut ἔρνος, aut adeo ἔνδιον ἀγνὶν e Codd. probari potest. Quomodo in ἀγριελαία v. 21. *Hemsterhusius* longum α elidere potuerit, non video. Sequitur locus impeditissimus v. 27. sq.

οὔρους μὴν ἴσασι φυτοσκάφοι, οἳ πολυεργοὶ
ἐς ληνοὺς ἱκνεῦνται, ἐπὴν θέρος ὥριον ἔλθῃ.

Illa *finium* mentio sensum haberet, si ne ipsi quidem servi agricolae fines vastissimorum agrorum (cf. v. 29.) novisse dicerentur. Sed id ad omnes omnino servos pertinebat, neque distinguendi erant vinitores. Nihil itaque proficeret, qui tentaret: οὔρους οὐ μὴ ἴσασι φυτοσκ. nisi efficeretur, ut id de propriis tantum vinitorum finibus, i. e. de vinearum limitibus, intelligendum esset. Sed ut antea aratorum labores apte describuntur, ita hic simile quid de aliis vinitorum occupationibus merito expectatur. Praeterea pro particula μὴν aptiorem jure nexum desideres, et ut antea singula monstrans, dixit ἐπὶ δεξιά, v. 18. mox εὐθύς, v. 23. i. e. κατ' εὐθύ, (nisi adeo εὐθὺ δ' ἄρα στ. legendum,) ita hic simile quid una cum aptiori copula dici poterat. Corrupta igitur esse saltem duo vocc. οὔρους μήν, satis est probabile. Sed emendationes sese plurimae offerunt, ut: γυρεύειν δ' ἴσασι φυτ. *ablaqueare sciunt*, vel: γύρειας δ' ἀνύουσι φ. vel: γύρους τοῦδ' ἀνύουσι φ. aut, posito alio non minus apto vocabulo: ὄρχους δ' ἠνὶδ' ἄγουσι φ. vel: ὄρχους μηκύνουσι φ. vel: ὄρχους δ' οὐ μὴ ἴσασι φ. de magna et innumerabili ordinum numero. Denique haec fere omnia etiam cum antecedenti versu in hunc fere modum conjungi possent:

— —, τριπόλοις σπέρον ἐν νειοῖσιν
ἔσθ᾽ ὅτε βάλλοντες, καὶ τετραπόλοις. ἴδ᾽, ὁμοίως
ὄ ρ χ ο υ ς τ ῇ δ᾽ ἵ σ τ α σ ι φυτοσκάφοι, —

Voc. ὄρχος de vitium ordinibus vid. Id. I. 48. et ne quis verb. ἵστασι metricis fortasse rationibus damnet, moneo, illud primam modo corripere, ut Odyss. β. 211. modo producere, idque cum in arsi, ut Od. β. 283. tum in thesi, ut Od. ϑ. 559. sq. λ. 122. 124. — Versu 97. mire legitur:

— — στείνοντο δὲ πίονες ἀγροὶ
μυκηθμῷ· σηκοὶ δὲ βοῶν ῥεῖα πλήσθησαν —

TU quoque, VIR ILLUSTRIS, absurdum putabas illud στείνεσθαι μυκηθμῷ, numeri notionem desiderans e v. 92. Itaque recte mihi videor emendasse:

στείνοντο δὲ πίονες ἀγροὶ
ν η ρ ί θ μ ο ι ς· —

vocab. νήριθμος habet v. 57. Mox nescio, an praestet: ῥ ε ῖ᾽ ἐπλήσθησαν. Versu 103. proprie ἀ μ έ λ ξ ω ν, fut. temp. scribi oporteret. Post v. 152. rem integram esse, nemo mihi persuadebit. Hercules ad Augiam regem venit, vidit eum in agris, et ne verbum quidem de summa re locutus, rursus cum filio ejus in urbem discedit, Augiae et stabulorum ejus plane immemor. Ita ne pessimus quidem poëta peccare poterat, quidquid dicat *Eichstadius*, de carmm. Theocritt. generibb. p. 29. Imo totum hoc, quod vocatur, Idyllium tres complectitur majoris in Herculem carminis partes seu libros: Αὐγείου κλῆρον, ἐπιπώλησιν, et Ἡρακλέα λεοντοφόνον, aliis multis, inprimis ante postremam partem, omissis, cf. *Reiskium* p. 308. sq. Quod si verum est, ut vero simillimum videtur, multae multorum criminationes circa oeconomiam hujus Idyllii prolatae, continuo diluuntur. — Multum vapulat noster propter id, quod vulgo legitur v. 162. sq.

ξεῖνε, πάλαι τινὰ πάγχυ σέθεν πέρι μῦθον ἀκούσας,
εἰσέ περ σφετέρῃσιν ἐνὶ φρεσὶ βάλλομαι ἄρτι.

Versum alterum sic ne ab insulsissimo quidem grammatico componi potuisse existimem; neque vero *Wartoni* aut *Dawesii* sententias amplectar. Itaque talem potius verborum nexum desidero:

ξεῖνε, πάλαι τοιὰ πάγχυ σέθεν πέρι μῦθον ἀκούσας
οὔασιν ἡμετέροισιν, ἐνὶ φρεσὶ βάλλομαι ἄρτι.

quod olim auribus de te accepi, ia nunc animo repraesentari video. Iam οὔατα et φρένες, πάλαι et ἄρτι oppositionem haud inelegantem efficiunt. Qui poëtam non continuo ab omni crimine liberari cuperet, admittere saltem deberet: ἀκούσας οὔασί περ σφετέροισιν, ἐνὶ φρ. β. ἄ. vel: ἀκούσας ὦσιν, ἄφαρ σφετέρῃσιν ἐνὶ φρεσὶ β. ἄ. Ego vero hunc poëtam in talibus vel optima lectione dignum putem. Simile quid est in Apollonidae ep. 18. πολιὸς λόγος εἰς ἐμὸν ὄμμα ἤλυθεν, *eine graue Sage trat vor mein Angesicht.* De vaticinio Philostr. p. 197. ὁ λόγος αὐτίκα ἐς φῶς ἦλθεν. In ultimo Apollonidae ep. 31. admissis *Hermanni* emendationibus, Orphh. p. 767. legendum v. 2. sq. βυθίοις οἴδμασι πηξαμένη, χαίρεις· ἀμφὶ δὲ πόντος — v. 5. sq. σεῖο Πέστυμος —. Videndum tamen, ne in φλουσι, unde φησί *Herm.* fecit, lateat nomen proprium hujus loci aut sacelli, de quo magis, quam de tota Papho mare gloriaturum est.

Versus 194. sq. ita distinguo et scribo:

αὐτὸς, καὶ μάλα ῥεῖα, κατὰ στάθμην ἐνοήσας·
τἄλλα δέ σοι τάχ' ἕκαστα λέγοιμί κε τοῦδε πελώρου.

etsi in priori versu alius fortasse tentet: ναὶ μάλα ῥ. et in altero, ἄγχι, vel αἶψα, vel ἄρτι δέ σ. Certe vulgatum ἀμφὶ, ad genit. πελώρου referendum, prorsus ineptum est. — Versu 241. vide, ne scribendum sit πυριγλήνοισιν ἐν ὄσσοις. Mox versu 274. sq. fortasse legendum:

ἐπεὶ οὐκ ἔοικε σιδήρῳ
τμητὴ ἦ, οὐδὲ λίθοις πειρωμένῳ, οὐδὲ μὲν ὕλῃ.

ne importunus sit hiatus in τμητὴ οὐδ.

Carmen, quod sequitur, XXVI. in multis cum Nonno comparare possem, ut fortasse exspectabis, ILLUSTRISSIME OUVAROFF, si mihi vacaret, neque ad finem festinandum esset. Nunc contentus ero, si mihi contigerit, huic carmini, ab apertis librariorum mendis purgato, paulo meliorem conciliare criticorum existimationem, quam qua nunc fruitur. Merito offendi potest ad vv. 7. 8.

ἱερὰ δ' ἐκ κίστας πεποναμένα χερσὶν ἑλοῖσαι,
εὔφάμως κατέθεντο νεοδρέπτων ἐπὶ βωμῶν,

ἱερὰ πεποναμένα, si sanum est hoc participium, recte *Reiskius* videtur accepisse. Similiter fere dicitur τυκτός, ἀσκητός. Neque tamen aegre ferrem, si Cod. offerret: ἱερὰ — κεκαλυμμένα, aut si vulgatum mutaretur in πεπνυμένα χ. ἑλ. ut id adverbialiter acciperetur, σοφῶς ἑλοῖσαι, ut mox εὐφάμως κατέθεντο sequitur. In altero versu paene certus sum, poëtam dedisse: νεοδρέπτων ἐπὶ φύλλων, cf. v. 3. Simillima sunt φ et β, υ et ω, ΛΛ et M. Alterum plus quam Tragica audacia diceretur. Mox vv. 12. sqq. scio TE mecum lubenter legere:

Αὐτονόα πρᾶτα νιν, ἀνέκραγε δεινόν, ἰδοῖσα·
σὺν δ' ἐτάραξε πάλιν μανιώδεος ὄργια Βάκχω,
ἐξαπίνας ἐπιοῖσα, τά τ' οὐχ ὁρόωντι βέβαλοι.

Vulgo est: ἐτάραξε ποσὶν μ. ut primo intuitu *pedibus* exposita sacra conturbasse videri possit, ut id ridicule vertit *Vossius* p. 254. Iam etsi ποσὶν referendum ad ἐπιοῖσα, male tamen collocatum et inutiliter additum manet. Recte vero sacra, e cista sumta, et in aris exposita, cf. 7. sq. *rursus* confundit et occultat, ut nihil a profanis discerni possit. Nimium tribueret ductibus literarum, qui coacte tentaret: σὺν δ' ἐτάραξε, πόσον! μαν. ὄ. B. — Versu 27. sq. ex sententia *Valkenarii* correxerim:

οὐκ ἀλέγω, μὴ δ' ἄλλος ἀπεχθέμεναι Διονύσῳ
φροντίζοι, μηδ', εἰ λεπτώτερα τᾶνδ' ἐμόγασεν, —

λεπτώτερα pro vulgato λεπτότερα, quibus exemplis tuendum, vid.

ap. *Buttmannum* Gr. gr. §. 60. I. 1. Iam si forte λεπότερα exaratum esse videbatur, facilis erat adulteratio. In versibus 33. sq.

χαίροι μὲν Διόνυσος, ὃν ἐν Δρακάνῳ νιφέντι
Ζεὺς ὕπατος μεγάλαν ἐπιγουνίδα θήκατο λύσας· —

male *Harlesius* iunxit: μεγάλην ἐπιγουνίδα θήκατο, vertens: *magnum femur faceret.* Imo λύσας μεγάλην ἐπιγουνίδα, θήκατο ἐν Δρακάνῳ, *partum deposuit in monte Dracano.* Ad Dracanum etiam Nonnus rem retulit, Dionys. IX. 16. in quo libro vv. 8. 9. 10. post v. 4. videntur collocandi esse. Dracani mentio est in epigr. Euphorionis 2. A. B. I. 256. cujus v. 1. sic rescripserim e Cod. V.

ὁ Τρηχὶς σε λίθειος ἐπ' ὀστέα κεῖνα καλύπτει, —

Mox v. 5. omnino corrigendum:

ἀντὶ δ' ἐγὼ κονίης πολυκήδεος ἡ κενεὴ χθὼν
ὠγκώθην Δρυόπων διψάσιν ἐν βοτάναις.

pro lacrymabili cinere inanis ego terra in tumulum aggesta sum. Praeterea vereor, ne βοτάναις corruptum sit ex δαπέδοις, vel simili voc. — Restat unus locus, in Idyllio nostro emendandus v. 35. sq.

χαίροι δ' εὐειδὴς Σεμέλα, καὶ ἀδελφεαὶ αὐτῆς
Καδμεῖαι, πολλαῖς μεμελημέναι ἡρωίναις.

Atqui Semele et ejus sorores ipsae sunt heroinae, unde legendum:

Καδμεῖαι, πολλοῖς μεμελημέναι ἡρωῖναι.

aut adeo: Καδμείαις πολλὸν μεμελημέναι ἡρωῖναι·
vel Καδμείοις, *Thebanis multum cultae heroinae.*

Iam laetare, VIR ILLUSTRIS: pervenimus enim ad pulcherrimam illam duorum amantium confabulationem, Id. XXVII. quae TE semper tantopere delectavit. Atque utinam is ego essem, qui omnes ejus difficultates expedire possem, ut in nullo amplius loco haereres! Quod quo minus sperem, vetat vel ipsum carminis initium:

Τὰν πινυτὰν Ἑλέναν Πάρις ἥρπασε βωκόλος ἄλλος·
μᾶλλον ἐμ' ἀδ' Ἑλένα τὸν βωκόλον ἐστὶ φιλεῦσα.

Si carmen his versibus antiquitus incipiebat, primus nullo pacto puellae tribui potest, nisi eam meretriciis fere moribus bubulco insidiatam esse statuas. Etenim ita aperte illa juvenem ad imitandum Paridem provocasset, i. e. ad se rapiendam: quod reliquis ejus moribus prorsus non convenit. Sed utrumque versum a juvene dici, et ipsum laborat. Concinnitatem, quo in seqq. ubique singuli tantum versus singulis (in ordinem cogendi vv. 9. 10. ut de v. 18. supra p. 35. dictum,) opponuntur, nolo urgere, quia initio id omnium facillime negligi poterat. Sed ne per se quidem hi versus apte coëunt: neque enim contraria, neque similia sunt: Πάρις βουκόλος ἥρπασεν Ἑλένην, et αὕτη ἡ Ἑλένη φιλεῖ με, ubi additum μᾶλλον rem adhuc magis turbat. Expectes enim ejusmodi nexum:

Δ. Τὰν πινυτὰν Ἑλέναν βώτας Πάρις ἠγκάσατ' ἄλλος·
μᾶλλον ἐμ' ἀδ' Ἑλένα τὸν βωκόλον ἐστὶ φιλεῦσα.

Sed dolendum, non occurrere activum verbi ἀγκάζεσθαι. Vel:

Δ. Τὰν πινυτὰν Ἑλέναν Πάρις εὖ κύσε βωκόλος ἄλλος·
μᾶλλον ἐμ' ἀδ' Ἑλένα τὸν βωκόλον ἐστὶ φιλεῦσα.

Vel: Δ. Ἀ πινυτά σ' Ἑλένα, Πάρι, πρὶν κύσε, βωκόλον ἄλλον·
μᾶλλον ἐμ' ἀδ' Ἑλένα τὸν βωκόλον ἐστὶ φιλεῦσα.

Etsi enim *Scaliger* illud μᾶλλον ingeniose mutabat in ἄλλον, id tamen nondum omnem difficultatem tollit, et debebat ille sic etiam τινά βωκ. scribere, quibus omnibus illa emendatio parum probabilis redditur. Equidem tentabam aliquando:

τᾷ πινυτᾷ Ἑλένᾳ Πάρις ἥρπασε βωκόλος ἄλλος·
αὐτὰ ἐμ' ἀδ' Ἑλένα τὸν βωκόλον ἐστὶ φιλεῦσα.

ut inter oscula rapta de ultro sibi oblatis gloriaretur adolescens, et ad illud ἥρπασε suppleretur φίλημα. Sed notio τοῦ ἁρπάζειν in Paride et Helena ita est ab omnibus poëtis clare definita et stabilita, ut hic alia interpretando inferre vix liceat. Neque vero istae, quas supra movi, difficultates ita mihi videntur dispelli, si amantes nostros inter medios sermones velut in scenam prodeuntes a poëta

fingi, TEcum statuerem, quia sic, quamquam dicta quaedam poni possunt, quae non audiverimus, ea tamen, quae audimus, apte inter se et cum sequentibus ut cohaereant, jure desiderari potest. Atqui id ipsum supra, vidisti, me desiderare. Ita fere cogimur, ut initio quaedam ante v. 1. fortasse etiam ante v. 2. deesse statuamus. Et ut in dialogo quaedam desunt, ita fortasse etiam poëtae proëmium periit, si quid hujusmodi ex epilogo v. 66. sqq. concludi potest. Interim contentus essem tali fere initio:

Δ. Δεῦρ' ἐπ' ἐμοὶ, κώρα· τί δὲ βωκόλον ἀνέρα φεύγεις;
K. Τὰν πινυτὰν Ἑλέναν Πάρις ἅρπασε βωκόλος ἄλλος.
Δ. Μᾶλλον ἐμ' ἁδ' Ἑλένα τὸν βωκόλον ἐστὶ φιλεῦσα.
K. Μὴ καυχῶ, σατυρίσκε· κενὸν τὸ φίλαμμα λέγοντι.

Sic saltem non ineptus est parallelismus; et illud μᾶλλον novum parallelismum melius videtur incipere, quam praecedentem claudere. Proximum tamen esset: καλὸν ἐμ' ἁδ' Ἑλ. adverbialiter, aut id, quod *Scaliger* altero loco ponebat, levi mutatione: μαλονόμος μ' Ἑλ. Primum versum sumsi e vv. 10. 12. Certiora, quae dicam, doleo, me non habere. Non multo melius procedit res cum v. 22. aperte corrupto:

πολλοί με μνώοντο, νόον δ' ἐμὸν οὔτις ἕαδεν.

Primum non convenit perfectum ἕαδεν, deinde accusativum, huic verbo junctum, hic non magis probo, quam in Theognidis versu 26. supra p. 81. sq. emendato. Sed tentari possunt plurima, ut: νόον δ' ἐμὸν οὔτις ἔθελξεν, vel: νόον δ' ἐμὸν ἔλλαβεν οὔτις, vel: οὐ βάλεν οὔτις, cf. Moschi Id. II. 25. vel: οὔτις ἔθ' εἷλεν, vel denique:

πολλοὶ ἐμὲ μνώοντο, νόον δ' ἐμοὶ εὔαδεν οὔτις.

aut νέων δ' ἐμοὶ εὔαδεν οὔτις. Versu 34. verum videtur:

ὄμνυε, μὴ μετὰ λέκτρα λιπὼν ἀέκουσαν ἀπενθῆν.

Brunckii λιπόντ' ἀέκ. ἀπενθῆν Graecum non est, quia, ubi eadem persona in utroque sententiae membro, ut hic in ὄμνυε et λιπὼν ἀπ-

15

ἐλθεῖν, subest, non accusativus, sed nominativus cum infinit. locum habet. Paulo post vv. 36. sq. cum sequitur:

K. τεύχεις μοι θαλάμους; τεύχεις καὶ δῶμα καὶ αὐλάς;

Δ. τεύχω σοι θαλάμους, τὰ δὲ πώεα καλὰ νομεύω.

miror illud hemistichium: τὰ δὲ πώεα καλὰ νομεύω, quod in antecedenti certe versu fundum non habet. Et poterat iisdem verbis repeti: τεύχω καὶ δῶμα καὶ αὐλάς, aut nonnihil variari: δομέω καὶ δ. κ. α. vel: τὰ δὲ δώματα καλὰ δομεύω. An librarius, eadem verba bis scribere fastidiens, usurpatis scribendi compendiis, corruptioni fortasse viam aperuit, ut circa v. 18. factum esse, conjecimus supra p. 35.? Sed fortasse literis aliter junctis, legere oportet:

τεύχω σοι θαλάμως, τὰ δ' ἐ π ώ ϊ α καλὰ δ ο μ ε ύ ω.

ut ἐπώϊον idem sit ac ὑπερῷον, nisi illud ipsum malis: τ. σ. θαλάμως, ὑ π ε ρ ώ ϊ α καλὰ δομεύω. Versu 44 inepte *Harlesius* dedit ἕθεν et mox σέθεν; cum aut hoc, aut illud repetendum esset, ut recte *Valkenarius*. Sequitur v. 48.

K. τί ῥέζεις, σατυρίσκε; τί δ' ἔνδοθεν ἥψαο μαζῶν;

Δ. μᾶλα τεὰ πρώτιστα τάδε χνοάοντα διδάξω.

Scis, VIR ILLUSTRIS, quot conjecturae in hunc locum extent, et quam parum satisfaciant. Si quid ego video, nulla opus est, modo intelligas, participium χνοάοντα, noto Graecismo, pro infinitivo poni: διδάξω, μᾶλα τεὰ πρώτιστον χνοᾶν, i. e. πεπαίνεσθαι. Etenim lanugo illa tenerrima, quae χνοῦς vocatur, poma maturitati proxima vestit. Eleganter itaque per hanc imaginem dixit: *ostendam, te viro maturam esse.* Quae sententia admisso eodem verbo διδάσκειν, pluribus modis variari poterat, ut: μᾶλα τ. π. τ. χ. δ ι δ ά χ θ ω; omisso ἄν, ut saepe ap. Homerum, *docear papillas tuas*; vel: δ ί δ α ξ ο ν *doce tu me eas*; Denique, si quis pronomen desideraret, ille posset:

μᾶλα τεὰ πράτιστ', ἄ γ ε, σ ε χνοάοντα δ ι δ ά ξ ω,

vel: ἴ δ ε, σε χν. διδάξω, i. e. διδάξω σε, μᾶλα τεὰ πρώτιστον χνοᾶν. Sed pronomine ne opus quidem est. Iam simul intelligi-

tur, quid statuendum sit de altera lectione χλοάοντα. Alia res est infra v. 66. De productione ante ζ in τί ζέζ. v. 48. saepius dictum, cf. Id. XV. 128. — De correptione in κῶρα φίλα v. 51. vide supra p. 42. et quod μίτραν attinet, v. 54. cf. p. 9. et fortasse hic legendum est:

φεῦ φεῦ, καὶ μίτραν μευ ἀπέσχισας· ἐς τί δ' ἔλυσας;

Malim autem omnino simplicius verbum ἀπέσχισας, quam *Toupii* ἀπέσχασας; omnium autem minime mirum illud ἀπέστιχες. Sed videndum, ne ex ἀπέστιχες et ἀπέσχισες refingi debeat, aut doricum futurum: ἀπεσχίσεις, si ejus usus probari potest, aut Aeolicus imperativus: ἀποστιχές, admissa *Casauboni* distinctione, cf. Greg. Cor. ed. *Sch.* p. 620. — Versu 62. si verba σὴ ἐρημίας sana non sunt, videndum, an lateat:

Ἄρτεμι, μὴ νεμέσα ἱερὶς σέθεν οὐκέτι πιστά.

ut improprie ita dicatur. Aptissimum esset σέο παρθένος. An:

Ἄρτεμι, μὴ νεμέσα γαμετᾷ σύ γα, κοὐκέτι πιστᾷ.

In carmine XXVIII. poëta TIBI, ILLUSTRISSIME OUVAROFF, artem suam in ignobili argumento, perdidisse merito videbatur. Interim judica, utrum v. 4. e lect. Cod. V. ὑπαπάλω elici possit ὑπαὶ 'ταλῷ i. e. ἀταλῷ, ut ὤ 'γαθε etc. an metrum restituendum sit in hunc modum:

ὄππα Κύπριδος ἱρὸν καλάμῳ χλωρὸν ὑπαὶ παχεῖ,

Arundinis peculiare genus κάλαμος παχὺς καὶ κοῖλος, παρὰ ποταμοῖς φυόμενος, ὃς καὶ δόναξ καλεῖται, ὑπὸ τινῶν δὲ Κύπριος, Dioscorid. d. Mat. med. I. 114. — Quod in Bianoris ep. 2. invenitur πτωκὶ παχυσχοίνῳ, legendum videtur: ἔμπεσε δειλῷ

πτωκὶ ταχὺς· σχοίνῳ κεῖτο γὰρ ὑπναλέος.

addendum enim erat in *litore*, siue inter arundines jacuisse leporem. positionem part. γάρ defendit ep. 5. v. 5. Apud eund. Bian. ep. 9. disticho ultimo scripserim:

πίσσα δ' ὑπερβρασθεῖσα πυρὸς φλογὶ τὴν ἁλὶ πίστιν
τευχομένην γαίῃ δεῖξεν ἀπιστοτέρην.

pix incensa ostendit, id, quod fidem facere debebat in aquis, minus fidum esse in terra, i. e. incendio intelligebatur, picis inductionem contra aquas tutum esse praesidium, sed ambiguum in terra. Ita sensus oritur multo subtilior, quam vulgatae inest. Ep. seq. 10. v. 5. *μόνος* muto in *φ ό ν ο ς*. Ep. 12. v. 5. lego: *νῦν δὲ τ ά σ α ι* ..... In Theocrito v. 10. legendum suspicor per appositionem:

σὺν τᾷ πολλὰ μὲν ἔργ' ἐκτελέσσεις, ἀνδρείους πέπλους,
πολλὰ δ', οἷα γυναῖκες φορέοισ', ὑδάτινα βράκη,

ut vel concinnitas postulat. Ineptus est dativus. Mox *ὑδάτ.* vestes intelligo *tenuissimas, pellucidas, νεφέλας*. Nisi *ἁλουργίδες* sunt.

Carmen XXIX. etsi incertum est, utrum Theocrito debeatur, an Alcaeo, cf. *Schaeferum* ad Gregor. Cor. p. 586. *Thierschium* in Actis Monacc. T. I. fasc. 2. p. 209. sqq. *Hermannum* ad *Viger.* p. 925. venustissimis tamen et tenerrimis antiquitatis totius reliquiis jure est adnumerandum. Eo magis laetandum, praeclarum hoc monumentum, vel in fragmenta disjectum, ita tamen conservatum esse, ut, si recte video, ne versus quidem desit. Quae inde a v. 12. venustissime dicuntur, in iis puero suo ipsius alati Amoris, qualem expressit Bion. Id. II. cf. Theocr. Id. XV. 120. sqq. pulchram imaginem subjecit. Versus 20. non video, quomodo sanus esse possit:

φίλει δ' ἆς κε ζώῃς, τὸν ὔμοιον ἔχειν ἀεί.

nisi verb. *ζώῃς* Aeolice ita scribebatur ut duae parum probabiles correptiones, in *κέ* ante *ζώῃς*, et prima hujus verbi, non amplius locum haberent. At non incommode verba transponi possent:

ἆς ζώῃς κε, φίλει, τὸν ὔμοιον ἔχειν ἀεί.

vel scribi adeo, sensu clariori:

ἆς ζώῃς κε, φ ί λ ο ν τὸν ὔμοιον ἔχειν ἀεί.

infinitivo, loco imperativi posito, vel:

ἆς κε ζῇ ς, φ ί λ ι ο ν τὸν ὔμοιον ἔχειν ἀεί.

Versu 22. unice mihi vera videtur lectio Florent.

ὁ δέ τοι χ ρ ό ν ο ς οὐ χαλεπῶς ἔχοι,
ὅς τ' ἀνδρῶν φρένας εὐμαρέως ὑποδάμναται, —

Ita optime conveniunt sequentia, in quibus omnia ad *temporis summam vim* referuntur, cf. Id. XIV. fin. Dicit itaque: *tempus te mollius tractabit*: nam qui pueri in tenera aetate amorem respuerunt, illi exoletiores facti contemnuntur; *at id in te non cadet.* Iam probandum id, quod supra posui, nihil in commissura duorum fragmentorum deesse. Cohaerent autem et cum antecedentibus, admissa lectione χρόνος, et inter sese egregie ea, quae aperte vv. 24. et 26. insunt. Dicit enim et semet ipsum temporis omnipotentia domari, et puerum quoque olim juniorem fuisse, inter ipsa oscula sentiri. Ita sensus aperte cohaeret. Praeterea nexum arctissimum monstrat particula versus 25. ἀλλὰ πέριξ, eodem scripturae vitio repetita initio alterius fragmenti, v. 26. Nam nisi proxime praecessisset versus 25. non facile ejus initium hic per errorem legeretur repetitum. Habemus igitur:

ἀλλὰ πέριξ ἀπαλῶ στύματος σε πεδέρχομαι,
ἀλλὰ πέριξ M — — — — —
ἐμνάσθην ὅτι πέρυσιν ἦσθα νεώτερος,
χὤτι γηραλέοι πέλομες, πρὶν ἀποπτύσαι, —

Superest, ut haec grammatice jungantur: quod TE non fugit, VIR ILLUSTRISSIME, quo pacto tentaverim:

χᾆ πέριξ ἀπαλῶ στύματός σε πεδέρχομαι,
ἐμνάσθην, ὅτι τοι πέρυσ' ἦσθα νεώτερος, —

et sicubi te osculis circa tenerum os adeo, memini, te superiori anno fuisse juniorem: παντᾷ γὰρ τὸ φίλαμ' ἤδη περὶ χείλεα κεντεῖ, ut fere est Id. XV. 130. propter quem locum πέριξ nolim damnare, etsi intelligo, hoc mutato, faciliorem jungendi rationem facile inveniri posse, ut:

ἀλλ' ὅκ' ἐξ ἀπαλῶ στύματος σε πεδερχόμαν,
ἐμνάσθην, —

vel: ὡς δ' ἀπεὶξ ἀπ. σ. σ. πεδερχόμαν, ἐμν. vel: ἄμ' ἀπρὶξ — πεδερχόμαν, ἐμνάσθην θ', ὅτι τ. — quae aliis expedienda relinquo. — Versu 36. erat, cum tentarem: τί με, δαιμόνι', αὖ 'νοχλεῖς; ut iteratis precibus puerum jam defatigasse putaretur.

Carmine XXX. v. 3. malim ῥικνὰν — χαίταν, i. e. πεφρικυῖαν, *horridam*. Versu 10. ineptum est δῆσάν τε κἀπέδησαν, imo: κἀπέβησαν. Versu 32. si inveniretur:

καὶ, φεῦ, καταστενάζω
ἐρωτικῶν ὀδόντων·

sequens τούτους aptissime cohaereret, et v. 36. esset fortasse nihil nisi aliena adulteratio lectionis genuinae. De lectione κράντιρ omnino dubitandum. Fortasse utraque, quae circumfertur, lectio orta est ex hac lectionis varietate: καί μευ γνάθος σίναζεν, aut: καί μευ ἔσινε γναθμὸς et: καί μευ γνάθος ἔσινεν.

Sed vale dicendum tandem Theocrito, et venia petenda, si quid in eum deliquit aut ingenii defectus, aut sequioris aevi prava indoles.

αἴθ' ἐπὶ σοὶ ζώοις ἐναρίθμιος ὤφελον ἦμες,
ὥς τοι ἐγὼν ἑιόμενον ἀν' ὤρεα τὰς καλὰς αἶγας,
φωνᾶς εἰσαΐων· τὺ δ' ὑπὸ δρύσιν, ἢ ὑπὸ πεύκαις
ἁδὺ μελισδόμενος κατακέκλισο, θεῖε μελίκτα!

Iam ad Bionem TUUM, ILLUSTRISSIME OUVAROFF, conversus, eo brevior ero, quo minus TUA patientia amplius abutendum esse sentio. Neque vero opus est, verbose Bionis aut Moschi versus in memoriam revocare TIBI, qui eos dudum omnes memoria tenes.

Id. Bionis I. v. 25. non videtur satis firmasse verbum ᾐωρεῖτο *Wakefieldius*; sed legendum fortasse: μέλαν αἷμα — ἠρώησεν, locutione Homerica; εἷμα posset dici αἰωρεῖσθαι, non αἷμα. Versu 36. ante cognitum *Wakefieldium* et ego:

πάντας ἀνὰ κναμὼς, ἀνὰ πᾶν νάπος „αἲ αἲ“ ἀείδει·
„αἲ αἲ τὰν Κυθέρειαν, ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις.“

Versu 70. lege λέκτρον ἔχοι, propter κάτθεο v. 72. Versu 74. στυγνὸν Ἄδωνιν, suspectum habeo, cf. v. 52. etsi defendit Mosch. Id. III. 68. Fortasse:

πάγχρύσῳ κλιντῆρι· ποθεῖν δοκεῖ ὕπνον Ἄδωνις

cf. v. 71. vel ποθεῖ γλυκὺς ὕπνον Ἄδωνις, vel ποθεῖ, (sc. ὁ κλιντήρ,) καὶ, συχνὸν Ἄδωνιν, *diu* desiderat. Versus 75. sq. distinguendum:

βάλλε δέ νιν στεφάνοισι καὶ ἄνθεσι· πάντα σὺν αὐτῷ,
ὡς τῆνος, τέθνακε, καὶ ἄνθεα πάντ' ἐμαράνθη.

Versu 82. ex ed. Flor. fortasse legendum:

ὃς δ' ἐπὶ τόξον ἐμαίνεθ', ὃ δὲ πτέρον, ὃς δὲ φαρέτραν.

furebant in arma sua et alas. Versu 84. φορέησιν suspectum est; an χρυσέοισι φόρησιν ὕδ. vel: οἱ δὲ λ. χρυσέοις φορέουσιν ὕδ. Versu 93. sqq. sic lego et jungo:

αἲ αἴ δ' ὀξὺ λέγοντι πολὺ πλέον ἢ τὺ Διώνα
ταὶ Μοῖσαι, τὸν Ἄδωνιν ἀνακλαίοισαι· Ἄδωνιν
ταὶ μὲν ἐπαείδουσιν, ὃ δέ σφισιν οὐχ' ὑπακούει
οὐ δύνατ', αἴ κ' ἐθέλοι· —

Eodem plane modo cohaerent tres versus 90 — 92.

Id. II. 6. TU, VIR ILLUSTRIS, pro ἀμφεδόκευεν malebas ἀμφεδίωκεν, in quo ne nunc quidem consentio. V. seq. nisi verum est ὅτι οἱ τ. legendum fortasse ἕνεκ' οὐ τέλος οὐδὲν ἀπ. vel οὗ οἱ ἀπ.

Id. III. 1. Sanum ὑπνώοντι. Poëta sobrius fingit, rem per somnium accidisse, quae aliter cogitari non poterat. Omnia aptissime conveniunt, ut illud παρέστα; in ἔτι cogitandum de somnio matutino, ubi somnia vera. Versu 8. *Brunckius* vere κιθάραν, (ut v. 4. τάρνεον,) emendat, quidquid dicat *Wakefieldius*.

Id. IV. 1. 3. Verae sunt lectiones vulgatae: ἢ φοβέονται, ἢ 'κ θυμῶ φιλέοντι et ἀείδη. Sensus est: Si homo invenustus canere vult, illum Musae deserunt; at si amori deditus, illum adjuvant. Igitur Musae iis tantum favent, qui amant, id quod aut coactae ab Amore faciunt, aut lubentes. Itaque *aut timent Amorem, aut ipsae quoque amant.* Ita sensus lepidissimus oritur.

Id. V. 6. lege Μοῖρά ποκ' ἄτροπος. Etenim fila Parcarum nunquam mutantur. Et maxima Parcarum est Atropos. Versu seq. fortasse: ἐν εὐφροσύνᾳ — χάρματι.

Id. VIII. 4. χαλέποισιν ἐν ἀξένοισιν ita demum sanum, si posterius vocab. pro nomine proprio populi dictum. Sed fortasse latet: μερόπεσσιν ἐν ἀξ. aut λαοῖσιν, quod corrumpi potuit, si forte ΛΑΛΛΟΙΣΙΝ scriptum erat. Vel quaerendum est nomen pr. Ταύροισιν ἐκ ἀξ. vel Κιμμερίοισιν ἐν ἀξ. Proximum esset Χαλύβεσσιν, qui certe ad Pontum habitarunt. Tauricam *Lebetum* populo auxit *Lubini* stupor ap. Non. Dionyss. XIII. 117. ubi Θεσμὰ λεβήτων legendum.

In difficillimo Id. XV. 3. legendum aut: ἐπ' ἀόνι τᾷ Γαλατ. ut ἀόσιν ap. Mosch. Id. III. 37. aut ἐπ' αἰόνος Γ. aut ἐπαιόνιος Γ. sed id minime propter Theocriti imitationem, ut vult *Wakefieldius*. In conclamatis illis vv. 8. 9. scis, quam multa tentaverim; et quid impedit, quominus totum conjecturarum saccum effundam: Λυκομηδίσι νᾶμα (i. e. νῆμα) πλέκοισα, vel ἄτερ' ἔχοισα, cf. v. 24. ἄειδεν τὸν ἀγαστὸν 'Αχ. Δ. cf. Theocr. Id. XXIV. 74. sq. et ΔΗΔΗ pro ἀείδῃ habent Codd. in Theocr. Id. IV. 3. vel: ἀδὺ aut ἁβρὰ λέγοισα, aut γελεῦσα, aut ἀμφιπλακεῖσα, aut ἀμφιέποισα κύδηνεν, (κύδαινε, lege in Non. Dion. XLVI. 69.), aut θήλυνεν, aut κήλῃνεν παρὰ παστὸν Α. Non pauciora hallucinabar in loco non minus difficili v. 14. ubi arguta est distinctio *Wakefieldii*, qua φέρων, per ἀνακόλουθον tamen, ad accus. λαόν, v. 12. refertur. Ita saltem occurritur dubitationi, quam de hoc participio acute movit *Jacobsius*. Sic in mentem venit: φέρων δύσμηνιν vel δύστανον, vel δεισάνορ' et δυσδαίμον' Ἄρηα, vel: φέρων φρέσιν αἰνὸν Ἄρηα, vel: φέρων νάεσσιν aut Τρώεσσιν Ἄρηα. Sed jungi etiam posset: οὔτις μένεν ἐὸν κατὰ δῶμα· φέρων δ' ἴεν αἰνὸν Ἄρηα, i. e. οὔτις μένε, πᾶς δ' ἴε, φέρ. Ἄρ. vel simili modo: φέρον δ' ὑσμῖνα καὶ Ἄρεα, adeoque γέρων δ' ἴ' ἐς αἰνὸν Ἄρηα, i. e. ἴεν, ut ἴ' pro ἴα est ap. Mosch. Id. IV. 40. Sed optime particip. φέρων cohaereret hoc sensu:

οὔτις μένεν ἐὸν κατὰ δῶμα, φέρων δυσὶν ἦρ' Ἀτρείδαις,

vel ἦρα ἄναξιν, vel φέρων χάριν Ἀτρείωνι. Neque tamen ignoro, TE, ILLUSTRIS OUVAROFF, praeeunte *Jacobsio* praeferre: φυγὼν τίσιν, αἰνὸν Ἄρηα, i. e. nemo domi mansit, *ut se vindictae bello sumendae subduceret.* — Versu 19. necessario scribendum παρήϊσι κ. τ. β. spondeus enim, qui nunc est, isque in hac sede, et in hoc carmine, minime ferendus est. Versu 31. *Luzacii* conjectura unice vera est. Apud *Wakefieldium* enim γὰρ vitiose positum restat, et in vulgata praeter illud vitium male Νύσσα ultimam producit.

Id. XVI. 7. ante cognitam *Ruhnkenii* auctoritatem, jam pridem et ego ὁδοιπορέοντα λοχήσω conjeci, quod *Hermannum* probare memini. Dura illa Attica correptio, in ἐνοχλήσω alienissima est ab hoc poëta.

Id. XVII. 3. Falsissimum est *Scaligeri* commentum τί νυ αὐτᾷ. Non multo felicius locum tentavit *Wakefieldius*, prorsus infelix v. 6. Vulgata ita est scribenda:

τυτθὸν ἔφαι, τί νυ τόσσον ἀπέχθεο καὶ τὶν αὐτᾷ,
ταλίκον ὡς πάντεσσι κακὸν τὸν Ἔρωτα τέκηαι —;

parum dixi in antecedentibus, dicendum potius: *cur tandem adeo irata fuisti, idque tibimet ipsi*, ut Amorem pareres etc. De probabili productione pronom. τίν. dictum supra p. 17. sq. Si negatur, scribe τίνη aut τεῖν αὐτᾷ. Ad sensum cf. Moschi Id. I. 21. Versus spondaicos vide Id. I. 18. 25. 27. 34.

Denique in Moschi Id. I. v. 3. doctius fortasse scriberetur: ὁ μανύτας, γέρας ἑξεῖς, ut v. 5. — Versu 7. infelicissime tentat *Wakefieldius*: χρ. μ. οὖν λευκός, π. γ' εἴκ. Eadem oppositione Philostr. p. 809. fin. de lacte: οὐ λευκοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ στιλπνοῦ. Paulo aliter id. p. 768. habet: μειράκιον, οὐ λευκόν, ἀλλ' — οἷον τὸ (i. e. *ille fuscorum flos*) τῶν μελιχρόων ἄνθος. — Versu 9. scio, receptam lectionem bene explicari posse; sed displicet illud ὡς μέλι φωνά, si absolute dicitur, vel admissa *Wakefieldii* distinctione, quia eodem fere modo praecedit ἁδὺ λάλημα. Fortasse:

οὐ γὰρ ἴσον νοεῖ, εἰ καὶ φθέγγεται ὡς μέλι φωνά·

vel: νοέει, κ' αἰ φθέγγεται ὡς μέλι φωνά, i. e. καὶ εἰ φθ. — Versu 19. legendum τυτθόν οἱ, cf. vv. 15. 22. Id. II. 8. 41. — Versu 21. fortasse τίτρωσκεν.

Id. II. 22. malim ποῖοι ἐμὲ στρ. — Versu 25. ξείνη τὴν εἴσιδον, cf. 112. 118. aliud est in ἦ ὅτε, 31. 32. — Versu 27. nescio, an edita sit *Hermanni* verissima emendatio κρήνειαν ὄνειρον, olim nobiscum communicata. — Versu 60. τέ post ὡσεί non est copula, ut fortasse δέ rescribi possit, sed cohaerent ὡσείτε, ut ὥστε, οἷάτε etc. Igitur defectus copulae in hunc modum restituendus est:

ταρσοὺς δ' ἀπλώσας, ὡσεί τέ τις ὠκύαλος νηῦς,
χρυσείου ταλάροιο περίσκεπε χείλεα ταρσοῖς.

Ad ταρσοὺς navis, i. e. *ordines remorum, alarum instar utrimque agitatos*, facit Thucyd. VII. 40. fin. καὶ ἐς τε τοὺς ταρσοὺς ὑποπίπτοντες τῶν πολεμίων νεῶν, καὶ ἐς τὰ πλάγια παραπλέοντες. Atque sic in eadem, quae comparationem absolvit, sententia repetitum ταρσοί, optime et ex usu se habet, ut non opus sit coacta *Wakefieldii* conjectura. Ipse olim ταρσοὺς et *navis* et *avis* minus recte intelligens, male tentabam: ταρσὸν ἀναπλώσας· ὡς δ' ἱστίῳ ὠκύαλος νηῦς scil. περισκέπεται. — Versu altero ut olim χρυσοῖο male erat, ita idem vitium apud Callim. H. Del. 264. restat corrigendum: χρυσείου ἀπ' οὔδεος. — V. 66. ἔρεζε sanum non est, si sequitur θαλλέθεσκεν, nisi ἐκ τῆς ἔρας significat, cf. Greg. Cor. ed. *Schaef.* p. 167. Sed neque hoc probabile, neque illud θαλέθεσκεν per se aptum. Acuta est suspicio *Wakefieldii*, sed λειρώδων, quod v. seq. scribit, graecum non est. Si floris nomen quaeritur, praesto est λευκοΐων vel μηκώνων ἔαροτρ. Sed qui carpuntur flores, non in terram decidunt. Fortasse igitur nihil novandum: *Aliae alios flores legebant*; at inter legendum, *multi etiam abjiciebantur*. Neque tamen hoc satis apte hic interpositum. — Versu 91. lego τοῦ τ' ἀμβρ. — V. 95. ἀμφαφάασκε κ. — V. 97. pessimis numeris editur φαίης κ' αὐλοῦ; neque dicendum erat: *diceres*, sed *dixisses*, cf. *Herm.* ad *Vig.* p. 813. Igitur leg. φῆς δέ κεν αὐλοῦ, et v. sq. ἄμ' ἠπύοντος ἀκ. i. e. ἠπύοντος τοῦ ταύρου, ἔφης ἄν, ἅμα ἀκούειν ἦχον αὐλοῦ. Ad v. sq. *Wakefieldius* male Nonni Dion. XVI. 53. sq.

sollicitavit, qui locus integerrimus est. — Versu 113. lege ἀκτάων ὑποβάς, de litore in mare *descendens*. Ita demum res mira narratur, et sensum habet additum ἠΰτε δελφίς. — Versu 115. scripsit: ἀντεχέοντο, argute de Nereïdibus, *sese obfundentibus* agmine conferto. Ita ἐκχέεσθαι et alia hujusmodi dicuntur. — Versu 125. malim ὤμοις πέπλος. — Versu 132. TU, VIR ILLUSTRISSIME, ad sensum egregie scribebas ἀζαλέοισι πόδεσσι δ. ut ἄβροχος est v. 139. Ductus si spectas, suppeteret etiam αὐαλέοισι vel αὐσταλέοισι π. Paulo aliter Non. Dion. I. 76. ubi v. 74. legend. ἀειρομένης et v. seq. ἄβροχον, cf. v. 57. et v. 79. ὥς ἕ γε ταῦρος ἄειρε. — Versu 146. sq. malim: ἐέλπομαι, εἰσοράασθαι

τὸν σὲ κατιθύνοντα πλόον, προκέλευθον ἐμεῖο.

i. e. σὲ κατιθ. τὸν πλ. πρ. ἐμ. — Versum 160. recte corrigit *Wakefieldius*. In ultimo versu, si genuinus est, legendum fortasse τέκε τέκνα.

Id. III. 32. fortasse legendum: καρπὸν δένδρεα ῥῖψε, τ. — Versu 35. vel conjectura reponendum putabam ἄλλο τρ. — Versu 47. mirum est, repeti mentionem lusciniarum et hirundinum post vv. 38. 39. Sed imago variatur, et ita hoc ferri saltem potest. Verum v. 50. ὄρνιθες et πελειάδες quo pacto ferri possint eo nexu, quo hic occurrunt, equidem non video. Putes, de columbis et *gallinis* sermonem esse. Aliud enim est, cum Euelpis ap. Aristoph. Av. v. 102. interrogat: πότερον ὄρνις, ἢ ταῶς; Iam scribi fortasse posset ὀρταλίδες· λυπ. π. αἴλινα χ᾽ ὑμεῖς, ut posteriora emendare conatus est *Jacobsius*. Sed ὀρταλίδες de pullis avium omnis generis non admodum frequentatur; reliqua vel sic hiant; et columbarum mentio valde est suspecta. Partim enim a Codd. abest, partim non memini, columbarum in luctu partes esse, praeter unum *turturem*. Verba non inepte coirent, si partim e conjectura, partim e Codd. rescriberetur:

αἴλιν᾽ ἐφώνευν

ὄρνιθες λυπεῖσθ᾽ οἱ πενθάδες, αἴλινα χ᾽ ἡμεῖς.

flebiliter aves dolore se affici significabant, flebiliter et nos. Ita elegans

est oppositio, et via munitur ad sequentia. — Versu 60. fortasse legendum ἑσδομέναν πέτρῃσι παρ' αἰόν. Θ. — Versu 119. vel post *Eichstadium*, Quaest. philoll. spec. nov. p. 28. sanum putem ἔκφυγεν ᾠδάν (τεὰν σάν), τοσοῦτον ἀνάμερος, (ὥστε) ἢ κεράσαι τοι ἢ δῦναι λαλέοντι (aut κελάδοντι) τὸ φάρμακον, i. e. *quis tui cantus vim effugere, et resistere potuit* —? et λαλέοντι propter praec. vers. praetulerim fere. *Lucacii* κεράοντα deberet esse κεράων aut κεράσας. — Versu 125. malim ὡς σ' ἂν ἴδοιμι. — V. 128. legendum omnino: κἠκεῖνα Σικελίς, καὶ ἐν Αἰτν. ἐπ. ἄγκεσι κ. *)

---

*) Liceat subjicere hic particulam versionis Gallicae, qua egregium hunc locum TU, VIR ILLUSTRIS, ornasti, cum haec atque talia Gallice reddi posse negaret illustris ille *Don Benito Pardo de Figueroa*, Hispanus, nunc inter sidera, communem bonorum patriam, receptus. Habet autem ita a v. 120.

O Muses de Sicile, exhalez vos douleurs,
Muses, Bion n'est plus, laissez couler vos pleurs!
Si je pouvais franchir, a l'exemple d'Orphée,
Du noir séjour des morts l'enceinte redoutée,
Si comme Ulysse, ou bien comme Alcide vainqueur,
Je pouvais pénétrer dans ces lieux pleins d'horreur,
J'irais, j'ecouterais les doux sons de ta lyre!
La reine des enfers à tes chants doit sourire;
Tes airs siciliens pourront charmer son coeur;
Peins lui de nos vallons l'agréable fraicheur!
Tes champêtres accens auront droit de lui plaire,
De sa belle patrie ils ont le caractère;
Elle est Sicilienne, et dans ces prés fleuris,
Près de l'Etna fumant elle a joué jadis;
De la Muse Dorique elle sait l'harmonie,
Et les honneurs seront prodigués au génie.
Si l'epoux d'Euridice, aux enfers egaré,
Obtint, par ses accords, un objet adoré,
Bion doit revenir dans ce riant asyle,

Id. IV. v. 66. sq. nullus dubito, quin legendum sit:

μάλα μέν γε φιλοθρηνής κέ τις εἴη,

ὅστις θρηνήσειεν ἐφ' ἡμετέροις ἀχέεσσιν.

Mutatio facilis, sensus apertissimus. — Versu sequenti optime *Valkenarius:* θαρσεῖ γοῦν τ.

Id. V. v. 3. legendum suspicor: ποθέει δὲ πολὺ πλέον ὄμμα γαλάναν, *oculus*, in mare prospiciens, *cum desiderio praefert* terrae placidam maris tranquillitatem. Ita mox sequitur v. 6. ἐς χθόνα παπταίνω; atque ita saepe βλέπειν et ὁρᾶν cum praepositt. πρός et ἐς, aut etiam sine iis, *affectandi* et *cupiendi* notionem involvunt, ut ap. Lucian. Dial. Mort. 11. p. 169. II. Bip. ἐς δὲ τὸ χρυσίον πάντες ἔβλεπον, ubi plura congessit *Jensius*. Similiter ὄμμα ἔχειν ἔς τι vide ap. Procl. III. 9. A. Br. II. p. 444. Neque aliter usurpatum ἀποβλέπειν in epigr. Antiphanis 8. A. B. II. 206. Anth. Pal. II. p. 88. ubi, probante *Hermanno*, ita olim emendabam:

ὁ Φθόνος εἰς πολὺν ὄγκον ἀποβλέπει, ὃς δὲ τὰ μικρὰ

ποθεῖ, καὶ τούτου χείρονα δεῖ με λέγειν.

Il doit fouler encor les champs de la Sicile;

Si, pour prix de mes vers, j'esperais son retour,

On me verrait descendre au ténébreux séjour;

Puissai-je de l'Erébe adoucir la furie,

Et ramener Bion dans sa noble patrie!

O Muses de Sicile, exhalez vos douleurs,

Muses, Bion n'est plus, laissez couler vos pleurs!

Nonne *Ille* animo praesagiente suam sibi ipse naeniam selegisse censendus est, cum venustum hunc locum TIBI exprimendum commendaret? Nonne TU viri amicissimi acerbam mortem praesensisse videris, cum Celticis his nivibus tam molles sensus, tam flebilem commoti pectoris affectum inspirares? — Have, Anima candidissima!

Τῷ Πάρδων, Φιγερᾶκ, Ἴβηρ σοφὸς, ἱερὸν ὕπνον

κοιμᾶται· θνάσκειν μὴ λέγε τὼς ἀγαθώς.

vel ipsa Invidia peiorem dicere oportet; atqui ὁ Φθόνος ἐστὶ κάκιστος, secundum ep. ἀδέσπ. 429. Ut hic inprimis syllabae ΓΗ et ΧΕΙ confusae, ita in iisd. peccatum in Agath. ep. 13. v. 4. A. B. III. 38. et supra p. 104. fin. χεῖρας et γύρους misceri vidimus. Quod priorem versum attinet, fluctuari potest inter duas *Jacobsii* conjecturas ὄγκον et ὄλβον. Color idem in Philodemi ep. 1. A. B. II. 83. οὐκ οἶδ', ἣν εἰπεῖν δεῖ με ποθεινοτέρην, in cujus ep. 12. TU, VIR ILLUSTRIS, tentabas: ἡ μιφανὲς θνήσκει τοῦτο τὸ δαιμόνιον, quod Germanice verterem: *das verteufelte Ding*; equidem tentabam eodem fere sensu: τοῦτο τὸ μερμέριον, aut τοῦτο, τό περ, vel: τοῦθ', ὅ τι περ, μόριον, *membrum hoc, quantulum et qualecunque*. Redeo ad Antiphanem, ubi apte ποθεῖν sequitur post illud Livoris ἀποβλέπειν, quia *fascinans* et proinde *periculosus* est Invidiae oculus, cf. *Heyn.* ad Virg. Ecl. III. 103. *Wagner* ad Alciphr. ep. 15. p. 88. Unde et ὀφθαλμιᾶν lepide dicuntur invidi, cf. *Jacobs.* ad ep. ἀδέσπ. 429. — Redeo ad Moschum, in cujus v. 7. sanum puto vulgatum:

γᾶ δέ μοι ἁ πιστά, τάχα δ' ἄσκιος εὔαδεν ὕλα.

Ita elegans est oppositio: φεύγω τὰν ἅλα, γᾶ δέ μοί ἐστιν ἁ πιστά, τάχα δ' ἄσκιος, i. e. εὔσκιος, εὔαδ. ὕλ. in quibus tantum abest, ut supervacaneum sit τάχα, ut eleganter interponatur: *et facile placet s.* Sed necessaria est particula post τάχα. — V. 10. omnino legend. ἰχθύες. — V. ultimo e Codd. fortasse scribendum:

ἁ τέρπει ψοφέοισ', ἀγροῖκον δ' οὐχὶ ταράσσει.

dura tamen est dactylorum jactura.

Superessent jam plura, quae hic ad calcem in unum corpus colligere et retractare mens erat, ut de conjunctionum et particularum diverso in singulis carminibus usu et positione, — quemadmodum id *Struvius* *) amicissimus in praeclaris suis Observatt. in Lucianum,

---

*) Publice hic venia nobis petenda est a *Viro eximio*, si in negligentiae aut ingrati adeo animi crimen ei incursisse fortasse visi sumus. Cum adhuc *Struvius* noster Dorpatum condecoraret, commisit nobis benevole primam Observationum Lucianearum particulam, inserendam *Collectaneis Philologi-*

(Progr. noviss. Regiomont. 1815. p. 6. 7. not.) in singulis scriptoribus instituendum suasit —; de dialecti finibus et discrepantiis; de metrica nunc accurate observata subtilitate, nunc licentius commissa negligentia; de numerorum concinnitate in carminibus amoebaeis, ope versuum intercalarium strophice *), si ita loqui licet, dispescendis: quae tantum non omnia vim habent, ad illam de diversis horum carminum auctoribus, jam nimis diu agitatam, disquisitionem tandem felicius dirimendam; sed parcendum est aliquando TUAE, VIR ILLUSTRIS, patientiae, et TUO, quod curis gravioribus debetur, otio, non ita diutius disperdendo. Verendum etiam, ne actum agerem, plurimis hujusmodi rebus, me inscio, ab aliis fortasse felicius expeditis, certe mox expediendis. Quod si vel sic accidit, ut nonnulla hujusmodi supra infeliciter tentaverim, aut a me primum putaverim inventa, quae alii me docere diu poterant; illi doleant, rogo, hominem, qui communem harum terrarum culpam, librorum penuriam, nimis ipse sentit; hi, salva inventionis laude sua, nolint contemnere socium, qui, si reliqua fidem faciunt, fortasse haud contemnendus probabilitatis testis censeri poterit, res in crisi admodum optabilis.

TU vero, VIR ILLUSTRISSIME, vale, ut et in posterum bonas literas in TUAM ipsius et patriae TUAE sempiternam gloriam juves et ornes; mihi vero fave, vel propter communia haec, quae colimus, studia, semper illa mihi cara, per TE vero longe omnium mihi carissima. Scribebam Petropoli mense Octobri 1815.

---

cis, propediem, ut sperabamus, Petropoli edendis. Quae res, per typographi rationes pessime protracta, etsi hucusque eventum non habuit, nunc tamen eo pervenimus, ut ineunte novo anno cum ipsis his egregiis Observationibus inprimendi initium longe auspicatissimum sine dubio facturi simus.

*) Unum tantum exemplum affero: In Id. Theocr. I. inde a v. 123. ὦ Πὰν Πὰν — stropharum, quibus versus intercalaris interponi debet, σχῆμα hoc est: 4. 3. 2. 3. 4. ut ex numero versuum eas distinguamus.

N O T A N D A.

Pag. 28. l. 14.

In aliquot exemplaribus mansit vitium typographicum: Ἐχεναΐς, ἠράσσατο, cum legendum esset: ἐράσσατο.

Pag. 104. l. 6.

In plurimis exemplaribus post verba: *Epigr.* 5. *v.* 5. *legendum:* exciderunt verba: θέλων μιαίνειν, *aut:*

Печатать позволяется:

съ тѣмъ, чтобы по напечатаніи доставлены были въ Цензурный Комитетъ одинъ экземпляръ сей книги для Цензурнаго Комитета, другой для Департамента Министра Народнаго Просвѣщенія, два экземпляра для Императорской публичной библіотеки, и одинъ для Императорской Академіи Наукъ. Санктпетербургъ 1815 года.

Цензоръ ЗОНЪ.

